

**www.e-rara.ch**

**Dissertatio de conversione violenta errantium, et poenis  
haereticorum, posterior**

**Heidegger, Johann Heinrich**

**Tiguri, 1690**

**Zentralbibliothek Zürich**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-13649>

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

19.

DISSERTATIO  
*De*  
CONVERSIONE  
VIOLENTA ERRANTIUM,  
Et  
POENIS HÆRETICORUM,  
POSTERIOR.

*Quam*  
AUSPICIIS DEI T.O.M.  
PRÆSIDE

JOH. HENRICO HEIDEGGERO,  
SS. Theol. D. & P. P.

*Examinis Theologiae consequendi gratia*

Sustinebunt S. Theol. Candidati,

DAVID LINDINERUS.  
HERCULES DÆLLIKERUS.  
JACOBUS USTERIUS.  
CONRADUS ZIMMERMANNUS.  
RODOLPHUS ZIEGLERUS.  
HENRICUS LAUBIUS.

*Die 14. Maii H. L. Q. S.*

---

TIGURI  
Typis Davidis Gessneri.  
M DC XC.

DISSERTATIO  
CONVERSIONE  
VIOLENTA ERRANTUM  
ET  
POENIS HAERETICORUM  
POSTERIOR

AUSPICIS DEI T. O. M.  
P. R. A. S. I. D. E.  
JOHANNENICO HUIDEGGERO  
S. Theol. D. & P. R.

Examinis Theologiae confusandi gratia  
Suffraganeus S. Theol. Candidatus

- DAVID LINDNERUS
- HERCULES DELLIERUS
- JACOBUS USTERIUS
- CONRADUS ZIMMERMANNUS
- RODOLPHUS ZIGLERUS
- HENRICUS LAURUS

Die 4. Martii 1692

---

TIGURI  
Typis Davidis Gessneri  
M DC XC



**Q**uid de violenta errantium conversione, & promiscuis hæreticorum suppliciis ex iudicio Spiritus S. seu ab Eodem inspiratarum Veteris & Novi Testamenti Scripturarum, rectæque ratione iisdem innixa, censendum sit, abundè hætenus exposuimus. Cùm verò Hierarchici ad Antiquitatis asylum confugere sueti, ejusdem præsidio Religiosam dominationem suffulcire conentur, operæ pretium duximus, Ecclesiæ Christianæ veteris & recentioris ea de re sententiam scrutari, cùm & liberale sit, non ignorare Ecclesiæ usum & decreta, & faciendi id ipsum necessitatem Adversariorum importunitas imponat.

Institutum  
Auctoris.

II. Ecclesiæ statum triplicem nonnulli constituunt, Democraticum, Aristocraticum & Monarchicum. Tamen si enim quoad fidem & religionem omne regit & regitur omnis, solius Dei, Christi sit, non corporis ejus, seu fidelium & electorum compagis, cujus est parere Deo, ejusque decretis, non leges, decreta à Deo non præscripta concedere, sancire: tamen similitudo quædam formarum regiminis in Ecclesiæ diverso statu conspicua fuit. A postolis enim, Evangelistis, Prophetis è vivis exemptis, Ecclesia ducibus & doctoribus suis primis orbatâ, speciem præ se *Democratia*, seu popularis Republicæ ferebat: libertatis & æqualitatis causa. Qui status felicissimus ad Constantini M. tempora usque excurrit. Omnes eo durante pari gaudebant libertate, sacræ militiæ sacramento liberè obligati, nullius intra Ecclesiæ viscera externum imperium agnoscebant, neque animi sui firmitatem & constantiam ullis unquam tyrannorum commentis frangi vel debellari patiebantur. Erant sanè Ecclesiæ præpositi Pastores & Doctores, quia ita ordo & Divina institutio postulabat. Sed hos inter & Auditores discrimen officio, non potestate vel dignitate metiebantur. Cùm extollimur, sic Tertullianus de *Monog.* loquitur, & inflamur adversus Clerum, tunc omnes unum sumus, tunc omnes Sacerdotes: quia Sacerdotes nos Deo & Patri fecit. Cùm ad peræquatianum discipline Sacerdotalis provocamur, deponimus insulas & pares sumus. Inde ornamenta illa Ecclesiæ ab eodem Tertulliano decantata, *communio pacis, appellatio fraternitatis, comessatio hospitalitatis*. Propria Ecclesiæ universæ pœna erat *Excommunicatio*, ultra quam pœna gravior hæud progressa est. Ne-

Ecclesiæ  
status tri-  
plex, De-  
mocraticus,  
Aristocra-  
ticus & Mo-  
narchicus  
distingui-  
tur.

que tamen illa opiniones & errores animi innoxios feriebat. Preme-  
 batur Ecclesia jugo gentium, quia & innumeris ferè sectis in partes  
 diffindebatur, etsi numero suo, Tertulliano auctore, *urbes, insulas, castel-  
 la, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum,*  
 & omnia Romanorum, solis Templis relictis, implevisset. Neque  
 tamen Christiani, hostibus jam non impares, aut potentiae & crude-  
 litati repugnabant, aut gentiles religiones, propagandæ fidei causa,  
 oppugnabant, aut effrenatum hæreticorum furorem viribus suis  
 amovendum putabant, ne quam conscientis servitute[m] imposuisse  
 viderentur.

Ex Ecclesia  
 Democrati-  
 ca Religio-  
 nis tyrannidi  
 adversan-  
 tur Ignati-  
 us, hæreti-  
 cos vitare,  
 verberare,  
 vetans;

III. Sed Ecclesiæ in libera hac periodo sententiam celeberrimi

Doctorum ejusdem periodi effata, quorum pauca delibabimus, pan-  
 dunt: Ignatius Epistola ad Philadelphienfes, seu quisquis verustus

ejus Epistola author est; *Εἰ τις, inquit, ἐν ἀδοξείᾳ γνώμῃ πελαπτεῖ, οὐ  
 τὸ σὸν ἐστὶ χεῖρ, οὔτε τοῦ πάρος οὐτὲ κοινοῦς. ἀλλ' ἐστὶν ἀλώπηξ, φθαρὴ ἐς  
 ἀμπελῶν χεῖρ. Ταῦτοιοῦτα μὴ συναναμίγνυθε, ἵνα μὴ συναπάληθε  
 αὐτῷ, καὶ ἀναπατήρ ἢ καὶ υἱός, καὶ ἀδελφός, καὶ ἀδικοῦ. οὐ φείσεται γὰρ σφ. Φη-  
 σὶν, ὁ ὀφθαλμὸς ἐπ' αὐτῷ. τοὺς μισοῦντας οὐκ ἔχοντες ἐν τῷ ἑαυτοῦ κρητῆρι, ἔ  
 τοῖς ἐχθροῖς αὐτῶν ἐκ τῆς καρδίας, οὐ μὴν καὶ τὸ πλεον ἑαυτοῦς, ἢ διώκειν, καὶ ὡς τοῦ  
 ἔδνηται μὴ εἰδότα τὸν κύριον καὶ Θεόν, ἀλλ' ἐχθροὺς μὲν ἡρώδης, καὶ χρωσίζου  
 ἄντων, ἡμετεῖν δὲ αὐτοῦς, καὶ ἑπὶ μετένοισιν ἑρῶ καλεῖν, ἰὰ ἄρα ἀκού-  
 σωσιν, ἐὰν ἄρα ἐνδῶπι, φιλάνθρωπος γὰρ ἐστὶν ὁ Θεός, ἡμῶν, καὶ πάντως ἀνδρώ-  
 πος, φέλει σωθῆναι, καὶ εἰς ἑπὶ γωσιν ἀληθείας εἰδέναι. Si quis ambulat in fal-  
 sa, doctrina, hic non est Christi, sed est vulpes & corruptor vineæ Christi. Cum em-  
 jusmodi non commisceamini, ne cum illo pereatis: quamvis pater sit, quamvis frater  
 lins, quamvis frater, quamvis domesticus. Non parceret, inquit, oculus vester super  
 eum. Ofores Dei & vos odisse oportet, & super inimicos illius tabescere; non au-  
 tem verberare, aut persequi illos, ut faciunt gentes, quæ ignorant Deum & Do-  
 minum; sed pro hostibus habere tales, & ab eis segregari, eos tamen communes face-  
 re, & ad pœnitentiam hortari, si forte manus dent, monitiſque cedant. Clemens  
 enim est Deus noster, & omnes homines vult salvari, & ad veritatis agnitionem  
 venire. En jubet hæreticos vitare: vetat verberare, persequi: crude-  
 litatem illam esse gentilium, qui Deum ignorant, asserit: præcipit  
 cohortari ad pœnitentiam, spe veniæ facta, ob clemenciam Dei. To-  
 tis ergo castris à violentia religiosa Hierarchicorum dissidet.*

Tertullia-  
 nus Episto-  
 la ad Scapu-  
 lam, & in:

IV. Disertus in primis eam in rem Tertullianus, non uno lo-  
 co Religiosam violentiam oppugnat. Ad Scapulam cap. 2, sic scri-  
 bit: *Humani juris & naturalis potestatis est, unicuique, quod putaverit colere: necesse*

alii obest aut prodest alterius religio: Sed nec religionis est cogere religionem, qua  
 sponte suscipi debeat, non vi: cum & hostia ab animo libenti exposulemur. Ita & si  
 nos compuleritis ad sacrificandum, nihil prestabitis Diis vestris. Ab iniuriis enim  
 sacrificia non desiderabunt, nisi contentiosi sunt: Contentiosus autem Deus non est.  
 Idem Apologet. c. 37. pulcherrime docet, potuisse Christianos tunc  
 se suamque religionem etiam a pertis viribus & ferreis armis tueri;  
 sed non ita licuisse. Quoties, inquit, in Christianos descevit, partim animis  
 propriis, partim legibus obsequentes? quoties etiam prateritis vobis suo iure nos ini-  
 micum vulgus invadit lapidibus & incendiis? ipsis Bachanalium furis, nec mor-  
 tuis parcum Christianis, quin illos de requie sepulturae, de asilo quodam mortis,  
 jam alios, jam nec rotos avellant, dissecant, distrahant. Quid tamen unquam deno-  
 rasti de tam conspiratis, de tam animatis ad mortem usque, pro injuria repensa-  
 rum? quando vel una nox pauculis faculis largiter ultionis posset operari: si in alium  
 malo dispungi, penes nos liceret. Sed absit ut aut igni humano vindicetur Divina  
 secta, aut doleat pati, in quo probatur. Si enim & hostes exertos, non tantum vin-  
 dicite occultos agere vellemus, deesset nobis vis numerorum & copiarum? Plures  
 mirum Mauri & Marcomanni, ipsique Parthi, vel quantacunque, unius tamen  
 loci & suorum finium gentes, quam totius orbis. Hesterni sumus, & vestra omnia  
 implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, lustra ipsa, tribus, decu-  
 rias, palatium, senatum, forum. sola vobis relinquimus Tempia. Cui bello non ido-  
 nei, non prompti fuissimus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur, si  
 non apud istam disciplinam magis occidi liceret, quam occidere? Non ergo ex  
 defectu virium, etiam a pertarum, per bellum; sed ex propria religio-  
 nis Christianae professione Ecclesia a vindicta & violenta religionis  
 propagatione abstinuit. Non deerant vires, sed aderat spiritus, qui  
 viribus uti ad religionem cogendam, & proditoriis incendiis (qua-  
 lla Jesuitae Angli, non unius noctis faculis, sed unius momenti igne  
 tormentario Regem suum Regni que Proceres perdere connixi, ad-  
 hibuere,) in persecutores grassari, vetabat.

V. Neque his repugnantia dixit idem Tertullianus Scorpiaces: *cujus etiam*  
*ex Scorpiace:*  
*locus à*  
*Pammelio*  
*obductus*  
*exponitur.*  
 cap. 2. ubi sic ille: Ad officium haereticos compelli, non inlici dignum est. Duri-  
 tia vincenda est; non suadenda: quae verba Pammelius Not. ad Apolog. c. 28.  
 urget, ut ex iis Tertulliani mentem explicet. Sed frigidam adnota-  
 tionem candidior longe Rigaltius, ejusdem interpres, confixit, o-  
 stendens videlicet, Tertullianum consentanea ibi loqui vis, quae ad Scapu-  
 lam dixerat, & damnare vim, quae corpus hominis vexat, aut necat, tanquam in  
 hujusmodi negotiis absurdam atque inutilem ideo, quod hypocrisis quidem faciat,  
 minime autem, religiosus, nedum Christianos. Et sane plana est verborum

**Tertulliani mens.** Loquitur enim de vi non externa, corporali, ut pote quam disertis adeò verbis à religione alibi removit, sed de spiritali, per demonstrationem veritatis ex Dei verbo, qua sola conscientiae vis inferri potest. Nam praecepta ex verbo Dei demonstrata non suadendi, insciendi, sed jubendi, compellendi, convincendi vim habent. *Auctoritas*, inquit, *Divina* (qua Martyrii necessitatem probare contenderat) *præcedit, an tale quid voluerit atque mandaverit Deus, ut qui negant bonum, non suadeantur accommodum, nisi quum subacti fuerint. Ad officium hæreticos compelli, &c.*

Cyprianus  
parabolam  
Zizaniorum  
argens;

**VI.** Si ob paradoxa Tertulliani nonnulla displicet testimonij ejusdem autoritas (nunquam tamen hujus sententiæ causa ab Ecclesia notatus est) at res ipsa, de qua in Apologetico loquitur, negari non potest: ac multò minùs rationes ab eodem allatæ suspicione laborant. Præterea, durante eadem periodo Democratica, Cyprianus *Epist. 3. ad Maximum Urbanum, Sidonium & Macarium*, his verbis hæreticarum crudelitatem represit: *Apostolus in Epistola sua scribit: In domo autem magna non solum vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia sunt, & quaedam quidem honorata, quaedam verò inhonorata. Nos operam demus, & quantum possumus, laboremus, ut vas aureum vel argenteum simus. Ceterum fictilia vasa confringere Domino soli concessum est, cui & soli virga ferrea data est. Esse non potest major Domino suo servus, neque quisquam sibi, quod soli Filio Pater tribuit, vindicare potest, ut puet, aut ad arcam ventilandam, & purgandam paleam ferre se jam posse, aut à frumento universa Zizania humano judicio segregare. Superba est ista obstinatio, & sacrilega præsumptio. quam sibi furor pravus assumit, & dum dominium sibi semper quidam, plus quam miris justitia deposcit, assumunt, de Ecclesia pereunt.* Argumentum planè conveniens ei, quod ex parabola Zizaniorum, & dominio folius Dei in conscientias hominum, supra pressimus. Alibi quidem *de Exhort. Mart. cap. 5.* idem fugiendam idololatriam docet, eò quòd lex idololatrias morti addixerit Deut. XIII. Sed aliud scilicet est idololatra, aliud hæreticus simplex.

Lactantius  
passim violentiam  
omnem à religione  
arcens;

**VII.** Post Cyprianum ex eadem ætate, Lactantius à religione violentiam omnem exulare iussit. Sic enim *Instit. lib. V. 19.* scribit: *Non est opus vi & injuria, quia religio cogi non potest. Verbis potius quam verberibus res agenda est, ut sit voluntas. Distinguant aciem ingeniorum suorum, si ratio eorum vera est, asseratur, parati sumus audire, si doceant. Tacentibus certe nihil credimus, sicut ne scipientibus quidem cedimus. Imitentur nos, aut rationem rei totius exponant. Nos enim non illicimus, ut ipsi objectant, sed docemus, probamus,*  
ostendit

ostendimus. Itaque nemo à nobis retineretur inuitus. Inutilis est enim Deo, quò devotione & fide caret. Et tamen nemo discedit, ipsa veritate retinente &c. Paulò post: *Quid ergo faciunt? Ut stultitiam suam dum minuire volunt, augeant? Longè diversa sunt carnisficia & pietas; nec potest aut veritas cum vi, aut iustitia cum crudelitate conjungi. Sed meritiò non audent de rebus quicquam docere Divinis, ne à nostris derideantur, & à suis &c.* Deinceps objectionem tralaticiam egregiè diluit, his verbis: *Sed defendenda sunt, inquam, suscepta publice sacra. O quàm honesta voluntate miseri errant! Sentiunt enim, nihil esse in rebus humanis religione præstantius, eamque summa vi oportere defendi. Sed ut in ipsa religione, sic in defensionis genere falluntur. Defendenda enim religio est, non occidendo, sed moriendo; non sevitia, sed patientia; non scelere, sed fide. Illa enim malorum sunt, hæc bonorum. Et necessum est bonum in religione versari, non malum. Nam si sanguine, si tormento, si malo religionem defendere velis, jam non defendetur illa, sed polluetur atque violabitur. Nihil est enim tam voluntarium quàm religio, in qua si animus sacrificantis aversus est, jam sublata, jam nulla est.* Subjicit eandem in rem plura & prægnantia, quæ nullo apice mutata tyrannidi Hierarchicorum exactissimè apta veris, ut non tam contra gentiles, quàm contra Pontificios scripta credere haud nefas sit.

VIII. Sed & sapienter non minùs quàm vehementer idem Lactantius cap. seq. 20. hæreticidas gentiles dicam, an Pontificios, sic stringit: *Libet ex his querere, cui potissimum præstare se putent, cogendo inuitos ad sacrificium? Ipsi ne, quos cogunt? At non est beneficium, quod ingeritur recusanti. Sed consulendum est etiam nolentibus; quando quid sit bonum, nesciunt. Cur ergo tam crudeliter vexant, cruciant, debilitant, si salvos volunt? Aut unde pietas tam impia, ut eos miseris modis perdant, aut inuitos faciant, quibus velint esse consultum? An verò Dii præstant? At non est sacrificium, quod exprimitur inuito, nisi enim sponte ac ex animo fiat, execratio est; cum homines præscriptione, injuriis, carcere, tormentis adacti, faciunt. Si Dii isti sunt, qui sic coluntur, vel propter hoc solum colendi non sunt, quòd sic cogi volunt; digni scilicet deestimatione hominum, quibus lacrymis, cum gemitu, cum sanguine de membris omnibus fluente libatur. At nos contra non expetimus, ut Deum nostrum, qui est omnium, velint nolint, colat aliquis inuitus; nec si non coluerit, irascimur. Confidimus enim Majestati ejus, qui tam contemptum sui possit ulcisci, quàm servorum suorum labores & injurias. Et ideo cum tam nefanda perpetimur, ne verbo quidem reluctamur, sed Deoremittimus ultionem; non ut ii faciunt, qui defensores Deorum suorum videri volunt, & faciunt essetate adversus non colentes.*

IX. Fantarum porro irarum & sævitæ verissimas causas idem statim Lactantius cap. 21. his verbis edisserit: *Non ergo ideo adversus nos*

utpote nec  
ei, qui cogi-  
tur, utilem,  
nec Deo ac-  
ceptam;

ab eo cogi  
non potest  
sed hoc  
autem

in malis  
geniis, & veri-

quis & à  
malis ge-  
niis, & veri-

in sa-

etatis ofori-  
bus pro fe-  
ctam.

insaniunt, quia Dei non coluntur à nobis; sed quia veritas penes nos est, quæ sit est  
verissime dictum, odium parit. Quid igitur existimabimus, nisi nescire illos, quid  
patiantur? Perciti enim perferuntur cæco & irrationabili furore, quem nos vi-  
demus, illi nesciunt. Non enim ipsi homines persequuntur, qui causam, cur irascan-  
tur innocentibus, non habent: sed illi spiritus contaminati ac perdit, quibus veritas  
& nota est & invisa; insinuant se mentibus eorum, & infligant nescios in furorem.  
Hi enim, quandiu pax est in populo Dei, fugiunt justos & pavent: & cum corpo-  
ra hominum occupant, animasque divexant, adjurantur ab his, & nomine Dei veri  
fugantur. Quo audito tremunt & exclamant, & uri se verberari que testantur; &  
interrogati, qui sint, quando venerint, quomodo in hominem irrepserint, consuetu-  
tur. Sic extenti & excruciiati virtute Divini nominis exulant. Propter hæc ver-  
bera & minas sanctos & justos viros semper oderunt. Et quia per se nocere his  
nihil possunt, publicis eos odii persequuntur, quos sibi graves sentiunt, exercētque  
sevitiam quàm violentissimè possunt, ut aut eorum fidem minuant per dolorem;  
aut si id efficere non quiverint, auferant omnino de terra, ne sint, qui possint eorum  
nequitiam coercere. Hoc scilicet ipsum est, quod S. Petrus paucis expref-  
sit i. Ep. cap. V. 8. ajens, Diabolum, adversarium nostrum, Leonis ru-  
gientis ad instar, circumcursare, quæ sitantem ita, quos devoret. Devo-  
rare enim sic & persecutores ipsos, quos perpetuis furis agit; &  
eos, qui religionis causa patiuntur, ipsique veritatis studio & patien-  
tia sua tormenta creant, contendit. Deinceps Lactantius rationem  
reddit, cur Deus ille singularis, ille magnus, quem verum, potentem, quem Domi-  
num omnium confitemur, hæc fieri patiatur, nec cultores suos aut vindicet aut  
tueatur? Cur denique, qui eum non colunt, & opulenti, & potentes, & beati sint;  
& honoribus Regnòque potiuntur; eosque ipsos ditioni suæ ac potestati subjectos ha-  
beat? Quæ cuncta sic ille edisserit, ut ad persecutorum Ecclesiæ mo-  
dernorum statum accommodatius dici nihil possit. Sed & scripto au-  
reolo, de *Mortibus Persecutorum*, non ita pridem Baluzii Doctissimi indu-  
stria ex Codice MS. Bibliothecæ Colbertinæ è tenebris vindicato,  
Johannis Columbi & Gisberti Cuperi notris doctissimis illustrato,  
atque Aboæ Finlandorum recuso, & à Celeb. Burneto Anglicum, ab  
Anonymo Gallicum in idioma translato, ex factis persecutorum ipsius  
violentia & Persecutionis Religio:æ impietatem luculenter de-  
monstravit.

Ejusdem de  
mortibus  
persecuto-  
rum liber  
laudatus.

Aristocrati-  
cus Ecclesiæ  
status à  
Constanti-  
no M. ortum  
habuit.

X. Hæc aureæ Ecclesiæ, liberioris adhuc, ætatis de hoc argumen-  
to expressa, & exceptione omni major sententia fuit. Successit status  
Ecclesiæ Aristocraticus, quem à temporibus opera Constantini M. in li-  
bertatem vindicatis, Ordini, in Ecclesiæ Suprematu à Bonifacio III.

usur-

usurpato terminare licet. Postquam nempe Constantinus M. durissimam servitutem à Christianorum cervicibus repulisset, summamque pacis & otii tranquillitatem afflictis restituisset; Episcopi ex latibulis, cryptis, specubusque, in quibus tyrannorum metu latitabant, eniterentur, prima ac simplex illa Ecclesiæ forma aliam in speciem conversa est. Cùm enim maximis Imperatorum beneficiis & honoribus locupletarentur, spiritus sibi paulatim sumpserunt, & non tantùm Ecclesiæ gubernacula soli ipsi tractare cœperunt, verùm etiam auctoritate, dignitate, cultu Regibus & Imperatoribus anteferri contenderunt. Hinc ad eò Nazianzenus Episcopos potestate sua majores esse Regibus, & potestatem spiritualem Episcoporum omni ex parte temporali præstantiorem esse docuit *Orat. 17. ad Popul.* ubi sic ille: Ὁ τοῦ χειρὸς νόμος ἐστὶν ἡμῶς τῆ ἐμῆ δυναστεία, καὶ τῶ ἐμῶ βήματι. Ἀρχομεν γὰρ καὶ αὐτοί. προσηύσω δ' ὅτι καὶ τὴν μείζονα καὶ πλεοντέραν ἀρχὴν, ἢ δὲ τὸ πνεῦμα ἐποχωρήσει τῆ σαρκί, καὶ τοῖς γήινοῖς ταῖ ἐπερχομίαι. *Lex Christi vos quoque imperio & tribunali meo subjecit. Nam & nos imperamus; addo etiam, præstantius & perfectius imperium gerimus; nisi verò æquum est spiritum carni fasces submittere, & cœlestia terrenis cedere.* Certè quæ ratione spiritualis potestatis Dei & Christi sunt, ejus ministri sibi vindicare nequeunt. Neque enim si Deus, si verbum ejus conscientis imperat, etiam homines verbum Dei prædicantes imperare censendi sunt. Ambrosius quoque de *Dignit. Sacerd. cap. 3.* sic ampullatur: *Honor & sublimitas Episcopalis nullis potest comparationibus adequari. Si Regum fulgori compares, & Principum diademati, longè erit inferius, quàm si plumbi metallum ad auri fulgorem compares. Quippe cùm videas Regum colla & Principum submitti genibus Sacerdotum.* Ita, operante sensim sine sensu mysterio iniquitatis, pennas suas majores nido exæquabant, & supra cellos Regum Principumque vertices scandebant; neque sola excommunicatione contenti, multas quandoque pecuniarias, honorum & munerum privationes, nuptiarum interdictiones, tandemque exilia adjecere.

XI. Tametsi verò sic potestatis suæ fimbrias Episcopi, seu Theologi Aristocratici, dilatarunt, nullam tamen, vel subinde exiguam violentiam Religiosam adhibuerunt, vel adhibendam docuerunt. Concilia quidem Oecumenica, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum & Chalcedonense Arium, Macedonium, Nestorium & Eutychen damnarunt, eorumque hæreses anathemati subjecerunt. Neque tamen Imperatoribus authores fuerunt, ut hæreses autho-

Eo durante nullam, vel exiguam violentiam religiosam obtinuisse, ex Concilijs primis Oecumenicis ostenditur.

res occiderent, vel crudeliter vexatos, dis cruciatis ad sanio rem mem-  
tem revocarent. Ecclesie pomœriis, donec resipiscerent, eos arcue-  
runt; & Imperatoribus exilio mulstandos reliquerunt: societate hu-  
mana, & civili communionem omni neutiquam privarunt.

Athanasius  
religiosam  
violentiam  
Diabolo  
authori ac-  
ceptam re-  
jert.

XII. Sed Ecclesie illius doctrinam verbis ipsorum Doctorum,  
qui ei præfuerunt, illustriorum paulò, nominatim verò Athanasii A-  
lexandriæ, Hilarii Galliæ, Gregorii Nazianzeni Cappadociæ, Am-  
brosii Mediolani, Hieronymi Stridonæ, Augustini Africae, Chrysosto-  
mi Constantinopoleos, denique Gregorii M. Romæ ipsius magnorum  
luminum, eruere juvabit. Athanasio res erat cum Ario, Divinitatis  
Christi hoste jurato, à quo non simplicem ipse persecutionem susti-  
nuit. De quo acerbè questus *Epist. ad Solit. vitam agentes Tom. I. p. m. 830.*  
*831. 854. &c.* quàm iniqua sit vis ob religionem illata, fusè prosequi-  
tur. Inter alia sic ille *pag. 830. 831.* Διάβολος ἐπεὶ μηδὲν ἀληθὲς ἔχει, ἐν  
πελέκει καὶ λαξευτηρία ὀπιθαιῶν καπαῖσει τὰς ἴσους τῶν δεχομένων αὐτόν.  
Ὁ δὲ Σωτὴρ, οὕτως ἐστὶ περὶ τοῦ, ὡς διδάσκειν μὲν, εἴ τις θέλει ὀπίσω μὲν ἔλθῃ, καὶ  
ὁ θέλων εἶναι μεμαθητὴς, ἐχόμενον δὲ πῶς ἐκάστω μὴ βιάζεσθαι, ἀλλὰ μάλ-  
λον κρούειν τε καὶ λέγειν, ἀνοίξω μοι ἀδελφὴ μὲν νόμῳ, καὶ ἀνοιγόντων μὲν εἰσέρ-  
χεται, ὀκνοῦντων δὲ καὶ μὴ θελόντων ἐκείνων, ἀναχωρεῖ. οὐ γὰρ ζήφισται, ἢ βέλε-  
σις, οὐδὲ ἄλλο ἔστω πῶς ἢ ἀληθῆρα καταγέλαστα, ἀλλὰ πῶς καὶ συμβουλία.  
ποία οὖν περὶ τοῦ, εἴθι βασιλέως φόβος; ἢ ποία συμβουλία ἐν ἡ ἀντιπλέγων, τὸ  
τέλος ἐξουρισμὸν ἔχει καὶ θάνατον Diabolus quia nihil veri habet, in securi &  
ascia invadens, concutit fores eorum, à quibus recipitur. Salvator contra mansue-  
tus est: Si quis, inquit, velit me sequi, & esse discipulus meus: docetque, se cum ad  
quempiam venit, non vi instare, sed potius pulsare ac dicere: Aperi mihi soror  
mea sponsa. Quòd si aperiant, intrat; sin graventur aut nolint aperire, discedit. Non  
enim gladius, aut jaculis, aut militari manu veritas predicatur, sed suadendo &  
consulendo. Quæ autem ibi suadendi libertas, ubi Imperatoris est metus? aut quæ  
consulendi ratio, ubi qui contradicit, pro mercede aut exitium, aut mortem repor-  
tat. David quaquam Rex cum hostem sub manu sua haberet, milites suos, qui  
hosti necem inferre volebant, non pro potestate sua prohibuit, sed, ut ait Scriptura,  
sermonibus persuasit, neque concessit eos insurgere ad cædem Saulis. iste verò (Con-  
stantius) nulla ratione instructus, vi & potentia omnes cogit: adeò ut statim nulli  
non appareat, ipsorum sententiam non secundum Deum, sed humanam esse: & A-  
rianos revera, nullum habere Regem nisi Casarem. Per eum enim omnia, quæ vo-  
lunt, perperant isti Christi perduelles.

et pietate &  
religione  
à venissimam,

XIII. Idem verò Athanasius *ibid. pag. 854.* argumentum isthoc  
fusius pertractat. Δι μὲν, inquit, ἀλλὰ αἰρέσεις ἐλεγχόμεναι τὰς ὑποδείξεσιν

Ὡς αὐτῆς τὰς ἀλλοθίας σιωπῶσι, μηδὲν ὀλέον ἢ ἐντερόμενα τοῖς ἐλέγχοις. ἢ  
 δὲ νέα & μυσταρὰ τούτων ἀίρεσις, ὅτον ἀνατρῶσιν ἀπὸ τοῖς λόγοις, ὅτον ὡς αὐτῆς τῆς  
 ἀλλοθίας αἰσῶν θείων πῆσι, λοιπὸν οὐκ ἔστιν ἀνάγκη πείσαι λόγοις, τοῦτ' ἐστὶν τῆ  
 βία, καὶ πλῆρα, καὶ δεσμωτῆ εἰσις ἔλκειν ὀπίσθην, γινώσκοντες ἑαυτὸν ἐν  
 τῶς, ὡς πάντα μακρόν ἐστιν ἡ θεοσεβεία. Θεοσεβείας μὲν γὰρ ἴδιον, μὴ ἀνάγκη ζεῖν,  
 ἀλλὰ πείθειν, ὡς περ εἶπαμεν. καὶ γὰρ ὁ κύριος αὐτὸς οὐ βιάζομεν, ἀλλὰ τῆ  
 προαίρεσι διδοῦς ἔλεγε, πᾶσι μὲν, εἴ τις θέλει ὀπίσω μου ἔλθειν, τοῖς δὲ μαθη-  
 ταῖς, μὴ καὶ ὑμεῖς θέλετε ἀπελθεῖν; αὐτὴ πρᾶτελῶς ἀποκρίσις τῆς εὐσεβείας  
 ἐστὶν, πῶς αὐτὴν ἐχρῆν, ἢ ἐναντία τοῦ Σωτῆρος; ὡς χελομαχὸν ἡγεμόνα τῆς  
 ἀσεβείας ὀπίσθην φερόμενον Κωνσταντῶν, ὡς αὐτὸν τὸν Ἀντίχριστον. *Cetera porro ha-  
 reses demonstrationibus convicta ab ipsa veritate tacite obmutescunt, nihilque a-  
 gunt, nisi quod de convictione sua erubescunt. Nova autem ista & execrabilis ha-  
 resis (Arianorum) cum rationibus subruitur, cum ipsa veritate pudefacta con-  
 cidit, quos non potuit verbis inducere, eos vi, plagis, carceribusque ad se pertrabe-  
 re nititur, atque ita se ipsam, quam non sit pia & Dei cultrix, manifestat. Pia  
 enim religionis, ut dixi, proprium est, non cogere, sed suadere. Siquidem Dominus  
 non cogens, sed libertatem suam voluntati permittens, dicebat quidem vulgò omni-  
 bus: Si quis vult venire post me. Discipulis vero: Num & vos vultis  
 abire? Quid autem aliud haeresis istam, qua prorsus aliena est à pia religione,  
 quae, ut Christi perduellis auctorem sua impietatis Constantium, quasi Anti-  
 christum inscribit, facere decuit, nisi contraria Salvatori usurpet?*

XIV. Athanasio ergo iudice coactio Religiosa est foetus Dia-  
 boli, non Christi: est νέα & μυσταρὰ ἀίρεσις nova & execrabilis haeresis Aria-  
 norum, qui primi inter professos nomen Christi Religionem non sua-  
 dendo, sed cogendo propagare instituerunt: est ἀποκρίσις τῆς θεοσεβείας  
 aliena à pia religione: est χελομαχὸς Christi perduellis: est Antichristi, non  
 Christi propria. Quid hic, Hierarchici, mussabitis? Patriarchas ve-  
 stros cernite, Diabolum, Arianos, quos eo ipso à pietate omni, à Chri-  
 sto alienissimos, & Antichristi satellites Athanasius pronuntiavit,  
 non quòd veræ & Orthodoxæ religionis cultores, quos inter præci-  
 pius Athanasius fuit, persequerentur: sed quòd religionem propa-  
 gare cogendo sustinerent. quòd à veræ etiam, non falsæ duntaxat,  
 religionis indole & professoribus alienissimum esse, ita pronuntiat, ut  
 contra asserat, θεοσεβείας ἴδιον εἶναι, μὴ ἀνάγκη ζεῖν, ἀλλὰ πείθειν, pia religio-  
 nis proprium esse, non cogere, sed suadere. Qui verò cogunt, eosdem ὡς περ  
 εἶπαμεν τοῖς ἄλλοις ἀίρεσις superare alias haereses, nominatim Ethnicorum,  
 Iudæorum, Manichæorum, Valentinorum, supra idem asseruit. Vel  
 solum certè illud Athanasii testimonium tum veram Christianos in-

& ab Aria-  
 nis introdu-  
 ctam exe-  
 crabilem  
 haeresin ef-  
 fe, asserit.

ter violentiæ Religiosæ originem pandit: tum ejusdem turpitudinem & impietatem Antichristianam, & κατ' ἐξοχὴν hæreticam pro-dit. Plura eandem in rem Athanasius in sequentibus dixit, quæ nihil mutata modernis persecutoribus accuratissimè congruunt.

Hilarius  
Gallus Aria-  
nos vi adi-  
gentes ad  
professio-  
nem suæ  
hæreseos  
ejusmodi  
argumen-  
tis, quæ om-  
nem à reli-  
gione vim  
collunt,  
convincit.

XV. Athanasio Alexandrino jungam Hilarium Pictaviensem Gallum, cujus verbis degenèrem Galliam de Religiosæ crudelitatis probro convincere proclive erit. Ille scripto ad Constantium Augustum, cujus tyrannidem Religiosam, in Arianorum gratiam expromptam, jam Athanasium desertantem vidimus, libello, his inter alia verbis utitur: *Deus cognitionem sui docuit potius quàm exegit, & operationem Cælestium admiratione præceptis suis concilians auctoritatem, coactam consentendi se aspernatus est voluntatem. Si ut fidem veram istiusmodi jus adhiberetur, Episcopalis doctrinâ obviam pergeret, diceretque: Deus universitatis est, obsequio non eget necessario, non requirit coactam confessionem. Non fallendus est, sed promerendus. Nostri potius, non sua causa venerandus est. Non possum nisi volentem recipere, nisi orantem audire, nisi profitentem signare. Simplicitate quaerendus est, confessione discendus est, charitate amandus est, timore venerandus est, voluntatis probitate retinendus est. At verò quid istud, quod sacerdotes timere Deum in vinculis coguntur, pœnis jubentur, Sacerdotes carceribus continentur, plebs in custodiam catenati ordinis constricta disponitur, virgines nudantur, ad poenam sacra Deo corpora publico exposita conspectui, ad fructum spectaculi & questionis aprantur. Pari gravitate & rationum pondere sic Arianos & Auxentium, libro contra eosdem scripto, initio statim, urget his verbis: *Ac primum miserari licet aetatis nostræ laborem, & presentiam temporum stultas opiniones congeniscere; quibus patrocinari Deo humana creduntur, & ad tuendam Christi Ecclesiam ambitione seculari laboratur. Oro vos Episcopi (quos Antichristi Sacerdotum nomine paulò ante insigniverat) qui hoc vos esse creditis, qui usquam si suffragis Apostoli ad prædicandum Evangelium usi sunt? Quibus ad huc potestibus Christum predicaverunt genti sive serè omnes ex idolis ad Deum transfererunt? Anne aliquam sibi assumebant è palatio dignitatem, hymnum Deo in carcere, inter catenas & post flagella cantantes? Edictisque Regis (cujusmodi sanguinaria hodie Edicta vidimus) Patius cum in theatro spectaculum ipse esset, Christo Ecclesiam congregabat? Nerone se, credo, aut Vespasiano, aut Decio patrocinantibus utebantur: quorum in nos odium confestio Divina prædicationis effloruit. Illi manu atque opere se alentes, intra cœnacula senectæque cœnantes, vicos & castella gentesque serè omnes terra & mari contra Senatus consulta & Regum edicta peragrantes: claves, credo, Regni Cælorum non habebant? An non manifesta se tum Dei virtus contra odia humana porrexit:**

cum.

cum tanto magis Christus predicaretur, quanto magis predicari inhiberetur? At nunc, pro dolor, Divinam fidem suffragia terrena commendant, inopisque virtutis sue Christus dum ambitio nomini suo conciliatur, arguitur. Terret exiliis & carceribus Ecclesia, credique sibi cogit, que exiliis & carceribus est credita: pendet à dignatione communicantium, qua persequentium est consecrata terrore: fugat sacerdotes, qua fugatis est Sacerdotibus propagata; diligit se gloriatur à mundo, que Christi esse non potuit, nisi eam mundus odisset. Hæc ille, σοφῶς καὶ ἐναργῶς, si quid aliud. Refutat sanè Arianos, vi ad confessionem falsæ & blasphemæ doctrinæ suæ orthodoxos adigentes; sed iis planè argumentis, quæ Ecclesiæ vim & coactionem omnem ad confessionem veræ doctrinæ pariter adimunt. uti obiter legenti, & utcunque expendenti liquet. Si hac in re orthodoxus fuit Hilarius, veteris Galliæ fulgidissimum sidus: certè heterodoxus sit oportet Clerus Galliæ sequiorum temporum, qui, uti Ariani Constantio, Regibus suis vim in religione adhibendi, & talia, quæ Constantio & Arianis in mentem nunquam venissent, perpetrandi, importunissimus author, odio & tundendo instans extitit. Antichristi Sacerdotes magis quàm Arianos Hilarius insigniret meritò, si dimachos & Cyclopes, novissimorum temporum abortum, oculis ei usurpare contingeret.

XVI. Ex Gallia in Cappadociam flecto. Ibi Gregorius Cappadox, Theologus, & Nazianzæ Episcopus percelebris, veritatis testis locuples sese offert. Orat. 1. p. m. 8. sic ille scribit: Τὸ μὲν γὰρ ἀκρόσιον, πρὸς τῷ τυραννικῶν εἶναι, & ὅσα ἐπαίνεται ἕδὲ μόνιμον. Φιλεῖ γὰρ τὸ βιασθῆν, ὡς περ Οὐτὸν βία χερσὶ μετασπάμενον, εἰς ἑαυτὸν πάλιν, ἀφ' ἑν ἀνατρέχειν. Τὸ δὲ ἐκ σφαιρέσεως, ἐνομώσῃ τὸν πᾶμα & ἀσφαλέςτατον, ἐννοίας δεσμῶν τηρούμενον. Ὅθεν δὲ & μάλιστα ποιμαίνει τὸ ποιμνιον ἐκσῆσις, ἀλλὰ μὴ ἀναγκασῶς, ὃ ἡμέτερον. Μακροτέρω τινὸς, καὶ νομοθέτης. Quod vi ac necessitate exprimitur, præterquam quòd tyrannicum est, minimèque laudandum, ne firmiter quidem ac stabile est. Solet enim id, cui vis adhibita est, non secus ac planta per vim manibus inflexa, simul ut dimissum est, ad se rursus redire. Quod autem à libera voluntate proficiscitur, æquisimum ac firmissimum esse solet, utpote benevolentia vinculis adstrictum atque conservatum. Ac proinde vel maximè id lex nostra, & Legislator noster sanxit, ut grex non coactè, sed sponte ac libenti animo pascatur. Idem Orat. 39. p. m. 609. rationem, cur mutatio religiosa humanarum mentium à simulachris ad legem, à lege ad Evangelium non statim, unòque impetu, sed sensim paulatimque facta sit, reddit his verbis: Τίνος ἕνεκα; εἰδέναι γὰρ ἀναγκαῖον, ἵνα μὴ βιασθῶμεν, ἀλλὰ πεισθῶμεν. Τὸ μὲν γὰρ ἀκρόσιον ἕδὲ μόνιμον, ὡς περ ἀβία κατέχευται τῶν ψευδῶν.

Gregorius:  
Nazianzenus religio-  
nis vi coactè instabi-  
litate in-  
primis ex-  
aggerat.

των, ἢ τῶν Φυτῶν. Τὸ δὲ ἐκούσιον μονιμώτερον τε ἔσφραλέστερον. καὶ τὸ μὲν  
 τοῦ βιασκειμένου, τὸ δὲ ἡμετέρου. καὶ τὸ μὲν Ἰππευτικῆς Θεῶν, τὸ δὲ τυραννικῆς ἐξου-  
 σίας. οὐκ οὖν ἔστω δὲν ἀκούσιος εὐποιεῖν, ἀλλ' ἐκόντως εὐεργετῆν. *Quamobrem?*  
*Id enim scire opera pretium est; Ut ne vi pertraheremur, sed per suasionem addu-*  
*ceremur. Quod enim voluntarium non est, ne diuturnum quidem est; et quem ad-*  
*modum nec fluentia aut stirpes, quæ per vim retinentur. Quod autem volunt-*  
*arium est, tum diuturnius est, tum certius. Atque alterum ejus est, qui vim intulit,*  
*alterum nostrum. Alterum Divine benignitatis, alterum tyrannica potestatis.*  
*Quocirca Deus minimè sibi faciendum duxit, ut invitos beneficiis afficeret, sed ut*  
*de volentibus bene mereretur. Repetit id ipsum pulcherrimis verbis in*  
*carmine de vita sua Tom. II. p. 21. ubi etiam Theodosium eo nomine ve-*  
*hementer commendat, tanquam nemini φόβον κατὰ νόον, metum inse-*  
*rentem, sed πάντα ἐκόντα ἡμέρωσ, omnes trahentem leniter.*

Ambrosius  
 fidem vo-  
 luntatis,  
 non neces-  
 sitatis esse  
 docet.

XVII. Consonat hisce Ambrosius, Ecclesiæ Mediolanensis  
 fulgidissimum jubar. Is enim in *Luc. lib. VII. supra cap. 10.* sic commenta-  
 tur: *Non virgas in manu jubentur tollere Apostoli. Sic enim Matthæus scriben-*  
*dum putavit. Quid est virga, nisi proferenda potestatis insigne, & ulciscendi in-*  
*strumentum doloris? Ergo humilis Domini (in humilitate enim judicium ejus*  
*sublatum est) humilis, inquam, Domini præceptum. Discipuli ejus humilitatis*  
*officio exequuntur. Eos enim misit ad seminandam fidem, qui non cogere, sed*  
*docere, nec vim potestatis exercerent, sed doctrinam humilitatis at tollerent.*  
*Paulò post: At alibi habet, quia cum Apostoli ignem de Cælo petere vellent, ut*  
*consumeret Samaritanos, qui Jesum Dominum intra civitatem suam recipere no-*  
*luerunt, conversus increpavit illos & ait: Nescitis cujus spiritus estis. Filius enim*  
*hominis non venit animas hominum perdere, sed salvare. Alibi Explanat. in 2.*  
*Cor. IV. paucis; Quoniam, inquit, fides non necessitatis, sed voluntatis res est,*  
*ideo dicit: Non quòd dominemur fidei vestra. Dominatus enim necessitatis causa*  
*est. Facit huc ejusdem Ambrosii oratio ad Auxentium, & Epistola*  
*33. ad Marcellinam sororem, observationibus Ecclesiasticis, & paral-*  
*lelis illustrata, & Wittembergæ A. 1674. seorsim edita.*

Hierony-  
 mus here-  
 sin non cor-  
 porali, sed  
 spiritali  
 gladio de-  
 bellari a-  
 ctuit.

XVIII. Haud diversus à coævis hisce abi Hieronymus Stri-  
 donensis. Is enim *Præfat. lib. IV. Com. in Esaj.* non corporali, sed spiritali  
 mucrone superbissimam heresin truncandam esse docet. Ejusdem *Comment.*  
*in Gal. IV.* est celebre illud, & in jus Canonicum C. 23. q. 4. can. 13. rela-  
 tum: *Qui secundum carnem natus erat, persequabatur spirituales. Nunquam*  
*enim spiritalis carnalem persequitur, sed ignoscit ei, quasi rusticano fratri. Scit*  
*enim, posse proficere per tempus, & si quando Ægyptia filium viderit irascentem,*  
*recordatur, unius patris, qui boves creavit & culicos: in magna domo non esse so-*  
 lum.

tum vasa aurea & argentea, sed lignea & fœtilia. Alibi in Gal.V. in verba illa Modicum fermentum totam massam corrumpit, sic idem scribit. Igitur scintilla, statim ut apparuerit, extinguenda est, & fermentum à masse vicinia submouendum: secunda putrida carnes, & scabiosum animal à caulibus ovium repellendum, ne tota domus, massa, corpus & pecora ardeant, corrumpantur, putrescant & intereant. Arius una scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est, totum orbem ejus flamma populata est. Extinguendam sanè scintillam primam docet, non vi corporali, sed spiritali, pœna non civili, sed Ecclesiastica, quali adversus Arium Ecclesiam usam legimus.

XIX. Inprimis Africæ illud Oraculum, Theologorum apex, Augustini concors sensus.  
S. Augustinus, Hipponæ Episcopus, hæreticorum per vim & pœnas civiles, sanguinis inprimis effusionem, conversionem verbis & rationibus efficacissimis dissuasit. aded ut editores Operum ejus Parisienses Tomo II. Epist. 48. in margine de sententia hac de re S. Augustini isthæc adnotaverint: Prior Augustini sententia (de posteriore infra videbimus) consentiebat cum Lutherana. S. hujus Patris sententiam non ita pridem Celeb. Theologus, D. Elias Vejelius, doctissima diatriba de Sententia S. Augustini tum ad stateram S. Scripturae passim ab ipsomet expensa & comprobata, tum ad placitum Collegarum in Epistola 48. Gallico idiomate nuper edita, quadantenus retractata; luculenter admodum eruit; ut de ejus mente nemo posthac vel tantillum ambigere jure possit.

XX. Erat nempe S. Patri gravis admodum contentio tum cum Donatistis & Circumcellionibus, hominibus & schismaticis, Ecclesiam intra unum exiguumque orbis in Africa angulum coarctantibus; & turbulentis, quippe brachii secularis implorata potestate immaniter adversus orthodoxos sævientibus: tum cum Manichæis, quibus hæreticos fœdiores & pestilentiores vix mundus vidit. Quid hic S. Augustinus? In universum sanguinis errantium effusionem constanter ad finem usque vitæ vehementer improbavit, neque ab ea sententia unquam recedens. Nullis, sic lib. III. contra Cresc. cap. 30. loquitur, placet hac in Catholica Ecclesia, si usque ad mortem in quenquam licet hæreticum sæviatur. Cujus proin judicio in hæreticos ad mortem usque sævientes parum equidem Catholici sint oportet. Aded autem contra supplicia hæreticorum capitalia obfirmatum animum habuit, ut Circumcellionibus inprimis debita illa, ob notoria maleficia, cœdes perpetratas, aliâque, impensè deprecatus fuerit, uti ex Epistola 158. ad Mar-

Marcellinum Tribunum, nec non Epist. 160. ad Apringium Judicem liquet.

Ad fidem  
Catholicam  
neminem  
vi cogen-  
dum esse,  
ad senectu-  
tem usque  
constantet  
docuit.

XXI. De cætero non omnino constans ejus junioris & senioris, virili robore certantis, & senili morositate lassati sententia fuit. Etenim primùm ad senectutem usque in eo ipsi sententia stetit, ad Catholicam communionem neminem invitum & vi adhibita coactum, pertrahendum esse. Congeriem quandam rationum cumulatam *contra Epist. fund. cap. 1. & 2. ubi cum Manichæis agit, videre est. Ibi verba S. Pauli: Servum Domini non oportet litigare &c. pro regula subster-nens, adversus Manichæos sæviendum esse, his verbis negat: Nostrum ergo fuit velle has partes expetere: Dei est, volentibus & petentibus donare, quod donum est. Illi in vos sæviant, qui nesciunt, cum quo labore verum inveniat, & quàm difficile caveantur errores. Illi in vos sæviant, qui nesciunt, quàm rarum & arduum sit carnalia phantasmata piæ mentis serenitate superare. Illi in vos sæviant, qui nesciunt, cum quanta difficultate sanetur oculus interioris hominis, ut possit intueri Solem suum, non istum, quem vos colitis in Cælesti corpore oculis carneis & hominum & pecorum fulgentem atque radiantem; sed illum, de quo scriptum est per Prophetam: Ortus est mihi Sol justitiæ. Et de quo dictum est in Evangelio: Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in mundum. Illi in vos sæviant, qui nesciunt, quibus suspiriis & gemitibus fiat, ut ex quantum acunq; parte possit intelligi Deus. Postremo illi in vos sæviant, qui nullo tali errore decepti sunt, quali vos deceptos vident. Sævitiã ergo omnem sive in propaganda, sive in perpurganda religione Augustinus graviter abominatur. Idem *contra Petilian. Ad fidem*, inquit, nemo est cogendus, ut dicitis: sed per severitatem, imò & per misericordiam Dei tribulationum flagellis solet perfidia castigari. Sub finem ejusdem libri: Diligite homines, interficite errores, sine superbia de veritate præsumite, sine sævitiã pro veritate certate. Orate pro iis, quos redarguitis atque convincitis. Ad exempla ex V. T. petita, quæ etiam Hierarchici urgent, sic paucis *contra Crescon. lib. VII. 46:* respondet. Non de V. T. profero exempla. fuerunt enim alterius dispensationis & temporis. Alibi *lib. IV. quest. sup. Deut. c. 39.* Hoc, inquit, nunc agit in Ecclesia excommunicatio, quod agebat tunc interfectio. Eandem in rem *Epist. 163. Parabolam de Zizaniis non eradicandis ante tempus messis* fusè graviterque urget. Mitto rationes, alias, quas passim movet, veluti spem conversionis errantium, commodum & utilitatem in Ecclesiam ex hæresi redundantem. Deus, inquit de *Civ. D. lib. XVIII. 51. utitur & malis bene, & diligentibus eum omnia cooperantur in bonum.* Inimici enim omnes Ecclesie quolibet errore cæcentur, vel malitia depraventur, si accipiunt potestatem cor-  
porali-*

poraliter affligendi, exercent ejus patientiam, si tantummodo male sentiends adversantur, exercent ejus sapientiam, ut autem etiam inimici diligantur, exercent ejus benevolentiam, aut etiam beneficentiam, sive suasibili doctrina cum iis agatur, sive terribili disciplina.

XXII. Crevit interea & radices agere cœpit Donatistarum non tam hæresis, quàm furor, sævitia adversus Catholicos, malignitas, qua brachium seculare contra Ecclesiam implorare & accendere non desierunt. Atque ipse interea Augustinus senescens, & contumeliosus, injuriis & sceleribus Donatistarum, quæ passim graphicè descripsit, in transversum abreptus in Collegarum violentiam nonnullam, veluti terrorem Imperialium legum, multam pecuniariam, relegationem, sine effusione tamen sanguinis, suadentium partes concessit. Nam *Epist. 48. ad Vincentium*, ex hæresi Rogatiana hominem, fatetur, se sententiis & exemplis aliorum victum mutasse sententiam, ac existimare omnino, Leges Principum rectè implorari adversus hostes fidei, modò id fiat animò corrigendi, non studio vindicandi. *His, inquit, exemplis (Donatistarum per pœnas converforum) à Collegis meis mihi propositis cessi. Nam mea primitus sententia erat, neminem ad unitatem Christi esse cogendum, verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos Catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noveramus. Sed hæc opinio mea non contradicentium verbis, sed demonstrantium superabatur Exemplis. Nam primò mihi opponebatur civitas mea, qua cum tota esset in parte Donati, ad unitatem Catholicam timore Imperialium legum conversa est, quam nunc videmus ita hujus vestra animositatis perniciem detestari, ut in ea nunquam fuisse credatur. Ita alia multe, qua mihi nominatim commemorabantur, ut ipsis rebus agnoscerem, etiam in hac causa rectè intelligi posse, quod scriptum est; Da sapienti occasionem, & sapientior erit.*

XXIII. Eadem ad Vincentium Epistola Augustinus rationibus etiam quibusdam sententiam suam firmare tenta vit. cujusmodi, ne eas dissimulem, sunt, quòd nemo bonus videns, inimicum suum periculosis febribus factum phreneticum, in præceps currere permittat, sed potiùs corripiendum, ligandumque curet: quòd ex ipsis Circumcellionibus multi jam Catholici manifesti damnent pristinam suam vitam, & miserabilem errorem, quo se arbitrabantur pro Ecclesia Dei facere, quicquid inquieta temeritate faciebant; qui tamen ad hanc sanitatem perducti non fuerint nisi legum istarum vinculis, tanquam phrenetici, ligati essent: quòd ii, qui vetusta quadam sordidia premebantur, dicentes; *Verum quidem dicitis, non est quod respon-*

C

deatur;

Senescens & injuriis fatigatus, in Collegarum vim suadentium sententiam concessit, sed sine effusione sanguinis.

Ejus rationes Epistola ad Vincentium proditæ ad incudem revocantur.

deatur; sed durum nobis est traditionem parentum relinquere; regula temporalium molestiarum salubriter excutiendi fuerint, ut tanquam de somno lethargico emergerent, & in salutem unitatis evigilarent; quorum multi nunc gaudentes pristinum pondus perniciosi sui operis accusent, & fateantur, orthodoxos sibi molestos esse debuisse, ne tanquam mortifero somno, ita morbo veteris consuetudinis interirent: quod si terrentur duntaxat, & non docerentur, improba foret dominatio; rursus si docerentur, & non terrentur, vetustate consuetudinis obdurati, ad viam salutis capeffendam pigrius moverentur: quod non omnis, qui parcat, amicus sit, nec omnis, qui verberat, inimicus, cum meliora sint vulnera amici, quam voluntaria oscula inimici: quod Deus, quo nemo amplius amare nos potest, non solum docere suaviter, verum etiam salubriter terrere non cesset: quod Paterfamilias servos iusserit, ut quoscunque invenerint, cogant intrare: quod ipse Saulus, postea Paulus ad cognoscendam & tenendam veritatem magna benevolentia Christi cogentis, & lucem, quæ oculis carpitur, auferentis sit impulsus: quod aliquando Pastor flagello ad gregem pecora errantia revocet: & Sara contumacem ancillam data sibi potestate afflixerit: quod quicquid hic vera & legitima mater facit, etiam si asperum amarumque sentiatur, non malum pro malo reddat, sed bonum disciplinæ expellendo malum iniquitatis apponat, non odio nocendi, sed dilectione sanandi: quod boni & mali eadem facientes non factis & pœnis, sed causis discernendi sint: quod in Novo etiam Testamento non solum Judæi Paulum Apostolum, verum etiam Græci pro Apostolo Solthenem cœciderint: quod plane semper & mali persecuti sint bonos, & boni malos, illi per injuriam nocendo, hi consulendo per disciplinam; illi immaniter, hi temperanter; illi servientes cupiditati, hi charitati. Hæc præcipua sunt, quibus in Epistola ea pugnavit, rationes. Idem verò argumentum tractavit *Epist. 50. ad Bonifacium virum militarem de Caesaris comitatu*, quæ inscribitur *de moderatè coercendis hæreticis*, ubi iisdem ferè rationibus hæreticorum violentam coercitionem suadet. Inter alia, *Molestus*, inquit, est & Medicus furenti phrenetico, & pater indisciplinato filio, ille ligando, iste cœdendo, sed ambo diligendo. Si autem illos negligant, & perire permittant, ista potius mansuetudo falsa, crudelitas est. Si enim equus & mulus, quibus non est intellectus, moribus & calcibus resistunt hominibus, à quibus eorum curanda vulnera contrectantur, & cum inter dentes eorum & calces sæpe homines periclitentur, & aliquando vexentur, non tamen eos deserunt, donec per dolores &

zuoletias medicinales revocent ad salutem: quanto magis homo ab homine & frater à fratre, ne in æternum pereat, non est deserendus, qui correctus intelligere potest, quantum sibi præstatur beneficium; quando se persecutionem perpeti que-  
rebatur?

XXIV. Epistolam Augustini ad Vincentium Gallico idioma-  
te vestitam Ecclesiæ Gallicanæ Clerus, Ant-Apostolicæ & Dima-  
chicæ Protestantium in eo Regno conversionis, cujus author ille sua-  
sorque fuit, methodo autoritate tanti Ecclesiæ doctoris culpam de-  
tracturus, Parisiis A. MDC LXXXV. publici juris fecit, libello pe-  
culiari, cui titulum fecit: *Conformité de la conduite de l'Eglise de France, pour ramener les Protestans: Avec celle de l'Eglise d'Afrique pour ramener les Donatistes à l'Eglise Catholique*, hoc est: *Conformitas methodi Ecclesiæ Gallicanæ, ad convertendos Protestantés, cum methodo Ecclesiæ Africanæ, Donatistas ad Ecclesiam Catholicam convertentis*. In Præfatione libelli Augustini potissi-  
mum verba illa: *Felix necessitas, quæ ad meliora compellit*, acri tibia decan-  
tantur: & Protestantium principium ab invidia unius Monachi, sicut Donatistarum fuit ab invidia Luciliæ, quæ Cœcilium Diaconum Carthaginensem legi voluit, maligna, & non una ratione claudicante comparatione asseritur. Nihil ergo Clerus Gallicanus ex Scripturis, nihil ex prioribus & castioribus seculis, quo horrendam persecutionem Protestantium, quorum religio sacrosanctis edictis firmata fuerat, palliaret, præter unam, eamque ex rectiore in deteriorem mutatam Augustini sententiam, reperire potuit. Quid verò compulsi eundem in Africam trajicere, cum in sinu suo haberet magnos testes, puta Doctores Gallos vetustissimos, irreligiøsæ violentiæ hujus diffusores acerrimos? Hilarium Pictaviensem Episcopum, adeoque Gal-  
lum, supra exhibuimus. Eidem jungamus Salvianum Massiliensem Episcopum, de Arianis de Gubernat. Dei lib. V. sic scribentem: *Hæretici sunt, sed non scientes: denique apud nos sunt hæretici, apud se non sunt. Nam in tantum se Catholicos esse judicant, ut nos ipsos titulo hæreticæ pravitatis infament. Quod ergo illi nobis sunt, & hoc nos illis. Nos illos injuriam Divinæ generationi facere certi sumus, quod minorem Patre Filium dicunt: illi nos injuriosos Patri, existimant, quod aequales esse credamus. Veritas apud nos est; sed illi apud se esse præsumunt. Honor Dei apud nos est, sed illi hoc arbitrantur honorem Divinitatis, quod credunt. Inofficiosi sunt, sed illis hoc est summum religionis officium. Impii sunt; sed hoc putant veram esse pietatem. Errant ergo, sed bono animo errant, sed affectu Dei honorare se Dominum atque amare credentes. Quamvis non habeant rectam fidem, illi tamen hoc perfectam Dei assimant charitatem. Qualiter*

Nequie-  
quam à  
Clero Gal-  
licano no-  
vissimè E-  
pistola illa  
ad pallian-  
dam tyrannidem suam  
producta  
est, cum ex  
sinu proprio  
non defuerint testes  
contrarii  
Galli, Hila-  
rius, Salvianus,  
Sulpicius Seve-  
rus.

pro hoc ipso falsa opinionis errore, in die iudicii puniendi sint, nemo potest scire nisi iudex. Interim iucirco eis, ut reor, patientiam Deus commodat, qui videt eos esse non rectè credere, affectu tamen pia opinionis errare. Sed & Sulpitius Severus Aquitanus *Histor. lib. II.* vehementer in Ithacium, Episcopum Hispanum, in vectus est, quod author fuisset cœdis Priscilliani, & aliorum sequacium hæreticorum; quos licet propter hæreses & flagitia luce indignissimos fuisse asserat, pessimo tamen eos exemplo necatos fuisse affirmat. Et tunc B. Martinus Turonensis, pariter Gallus, sponsonem à Principe elicit, nihil cruentum in reos constitutum. Non enim in hæreticorum cœdem Ecclesiam consentire, asseruit. Neque, uti Bellarminus *de laic. cap. 22.* tricitur, ideo Ithacius à Sulpitio reprehensus est, quod iudicium Ecclesiasticum ad laicum iudicem detulisset; & in causa sanguinis accusatorem egisset. Hoc ipsum, fateor, Sulpitio displicuit. Nihilominus neces illas pessimo exemplo patratas conqueritur. Non habebat enim exemplum, quo actoribus Ecclesiasticis viris sanguis vel pessimorum; profusus esset; maluissetque adeo, ut Episcopale iudicium contra illos causam absolveret; aut ad summum, ut in exilium mitterentur, procuraret; utque non accusatorum, sed ut Pacis Ecclesiasticæ apud Principem intercessorum munere Episcopi fungerentur. Immane igitur quantum à veterum Gallorum *Thener. et modernorum*, omnia sacrosancta legum repagula perfringentium, sævitia distat.

Ne quidem  
Augustini  
sententiam  
in senectute  
mutatam  
Gallicanæ  
violentiæ  
patrocinari,  
ostenditur.

XXV. Neque tamen etiam Augustinum sibi in universum, & in rei ipsius summa, addictum habent. Nam *primò* constanter & ad finem usque vitæ illud tenuit, nullis placere in Ecclesia Catholica, si usque ad mortem in quenquam, licet hæreticum sæviatur. At Hierarchicis magnopere id placere, eorum decreta, & experientia, testantur. *Secundò* retractavit ille ex parte sententiam priorem, ut nec prioris illius sententiæ argumenta alibi à se prolata, & ex natura ipsius fidei ac religionis, quæ cogi nequeat, ex parabola Zizaniorum, aliiisque petita, retractavit vel diluit: nec pro sententia posteriore, si ad thesin de cogendis omnibus promiscuè hæreticis illa revocetur, solidi quicquam attulit. A Collegis se persuasum, & exemplis hominum ac civitatum quarundum, quibus rigor ille profuerit, scribit. Ex Scripturis verò præceptum vel voluntatem Dei, ut cogantur hæretici, non demonstrat. Cœtera ejus argumenta ingenii acumine, quam iudicii soliditate magis valent. Phreneticum in præceps currere nemo permittit, inquit. At nec hæreticum Ecclesia præcipitem cur-

tere.

rere permittit, quem vel convertit legitimo modo, ad quem vis corporalis nil facit; vel communione sua arcet. Si qui pœnis emendati sunt, at plurimi forte indurati; & qui emendati sunt, non ilico radicem bonæ mentis egerunt; & si egerunt, institutioni potiùs quàm pœnis ferri acceptum debet. Quid pœnæ efficere apud illos poterunt, apud quos nihil Dei verbum, & ejusdem manifestatio ad conscientiam profecit? Neque hæretico parcit, vel vulnus nullum infligit, qui corporali pœna & violentia abstinet. Nam etiam conscientia & mens hominis vulnerari, laniari potest. Neque quod Deo erga Saulem aliòsque licuit, etiam homini erga quoscunque alios licet. Quid Saræ immorigeram ancillam domo exigentis: quid verbera Sostheni, à Græcis Paulum vindicantibus, reddita: quid plagæ paternæ liberis contumacibus inflictæ, ad violentiam religiosam, qua animum erroribus exuere malè consulti putantur? Neque denique si non deserendus est frater, sed ab interitu liberandus, vis ei corporalis ad movendam est; cum ad id spiritalis & Ecclesiastica sufficiat, dummodo in reprobam mentem non sit datus. Et hæc tamen palmaria Augustini argumenta sunt. Accedit, quòd exempla emendatorum per pœnas à Collegis allata Augustinus urget, at regulam ipse nemini præscribit. Tertiò Augustino in utraque Epistola sermo est de coercendis non quibusvis hæreticis, sed Manichæis, Circumcellionibus, Donatistis. quos non hæreticos simpliciter, sed maleficos, grassatores, seditiosos, turbones, blasphemos quosdam & ἀνομογενεῖς doctores, ac orthodoxorum immanes persecutores fuisse, manifestum est: & Augustinus ipse de Donatistis Orthodoxos interficientibus Epist. 166. contra Donatistarum Presbyteros, quorum quidam ad Catholicos dicebant: *Recedite à plebibus nostris, si non vultis, ut interficiamus vos*; quos etiam passim, ceu *exsufflatores Christi, blasphematores Baptismi, qui Christiano dicere audebant*; Dicite non esse Christianum, exagitat; comprobavit. *Insectamur, sic Epist. 50. loquitur, vi secularis potestatis hæreticos, non quia fidem deseruerunt, sed quia illi Catholicos usque ad necem persequuntur.* Quàm verò cum Donatistarum, Circumcellionum, Manichæorum blasphemiiis & furoribus nihil Protestantium doctrina & mores commune habeant: & quàm nihil commercii Papatus cum Catholicis veteribus, Celeb. Velsius diatriba supra laudata graphicè ostendit. Quarò Augustinus ubique in coercendis Donatistis moderationem & adhibuit ipse, & suasit aliis. Non solum enim sæviri ad sanguinis usque effusionem, uti non semel diximus, vetuit; sed etiam, ne pro sceleribus

punirentur Donatistæ similisque, intercessit. De vobis, inquit, Epist. ad Vincent. corripiendis atque coercendis habita ratio est, quò potius admoneremini ab errore discedere, quam pro scelere puniremini. Qualem verò ipse in certaminibus contra hæreticos se gesserit, Erasmi Dedicat. Oper. S. August. ad Archiep. Tolet. verbis exprimere libet. Ad tantas, inquit, res ( contra tot hæreticorum monstra ) conficiendas non vi, non armis, non copiis, non carceribus aut incendiis usus est, sed solo gladio spiritus, quod est verbum Dei: atque armis Apostolicis tot victorias, triumphos paravit Ecclesia Christi, li. et adversus Donatistas & Circumcelliones, quoniam ipsi ferro rem gerebant, adhibita sit tandem Casarea autoritas, refragante primum Augustino, mox Casaris interdictum sic intercessione sua moderante, ut à plerisque multa auria redderetur, iis qui persolverant. Summa verò cura intercessit apud Casaros Magistratus, ne quis hæreticorum occideretur. Cupiebat amicus medicus superesse, quos arte sua sanaret. Imò quod est majoris clementia, his etiam vitam impetravit, à quibus Orthodoxi quidam fuerant nefarie trucidati. Tantum certè abest, ut Hierarchici apud Potestates supremas hæreticidia deprecenrur, ut potius illis patrandarum cœdium & immanitatis, quin & violandæ juratorum patrum, quibus de immanitate illis cautum idoneè est, fidei auctores suos foreque sine fine & modo existant.

Chryso-  
stomi effata  
contra reli-  
giosam ty-  
rannidem.

XXVI. Clarissimis hisce Ecclesiæ luminibus sociare lubet magnæ Constantinopoleos Archiepiscopum, Johannem Chryso-  
stomum. Non semel ille S. Pauli 2. Cor. I. 24. verba: Non dominamur fidei vestra, urgens, ab invitis quicquam extorquendum esse negat. Ad verba illa Apostoli, Homil. 3. in 2. Cor. I. Ουκ εἶπεν, ὑμῶν, ἀλλὰ τῆς πίστεως. ὃ ἐπὶ ἀόπερον ἦν καὶ ἀληθέστερον. Τὸν γὰρ μὴ βεβηλωμένον πειθεύσαι τις κύριον ἀναγκάσκει; Non dixit, non dominamur vobis, sed fidei vestra, quod & mansuetius & verius erat. Nam nolentem credere quis cogendi potestatem habet? Ee in Epist. ad Ephes. homil. 11. Οὐ κυβεύομεν ὑμῶν τῆς πίστεως, ἀγαπητοί, ἢ δὲ δεσποτικῶς ποιῦται ὅτι ταῖς ἴσοις. εἰς διδασκαλίαν λόγῳ σπρεχευ-  
ρισθημεν, οὐκ εἰς ἀρχὴν, οὐδὲ εἰς αὐθεντίαν. Συμβούλων ταῖς ἔχουμεν ὡς ὁμο-  
σοῦντων. ὃ συμβεβηλωτων λέγει τὰ ὡς ἐαυτοῦ, οὐκ ἀναγκάσων τὸν ἀκροατήν, ἀλλ' αὐτὸν ἀφίησι τῆς τῶν λεγόμενων αἰρέσεως κύριον. Non dominamur fidei vestra, neque imperii aut dominii jure ista precipimus. Sermone doctrina nobis commendata est, non principatus, nec potestatis autoritas. Ordinem tenemus consulentium & adhortantium. Qui consulit, sententiam suam dicens, auditorem non cogit, sed in illius potestate faciendorum optionem liberam r. linquit, in hoc tantum culpabilis, si non quæ decent & oportet, dixerit. Idem homil. 67. ad Pop. Antioch.  
ἡμῶν δὲ ἡ γέμεν τὸν τῷ χριστιανῶν βίον, ἡμῶν οὐκ ἐν τῷ ἀπὸ τέλει ἐκ-  
χῆν.

*χρῆν, ἀλλ' ἐν τῷ ἔτοίμῳ εἶναι τὸ εἶναι τῶν ἄλλων.* Oportet Christiani vitæ sangu-  
 nibus plena sit, sanguinibus, non ut alienos effundat, sed ut paratus sit proprium  
 effundere. Superfedeo plura cumulare ex ejusdem Sermone de Anathe-  
 mate, ubi extendendam fagenam charitatis, ut sanetur, non subverta-  
 tur claudus; escam compassionis in hamo, & Scripturæ profunda af-  
 ferenda, ut ex imo perditionis extrahatur is, qui defenderat, quod ex  
 anticipata opinione, vel ex inscitia bonum existimabatur; fufius  
 monet.

XXVII. Claudat agmen, qui Aristocraticam hancce perio-  
 dum clausit, Romæ ipsius Episcopus Gregorius M. Is enim *lib. II. Ind.*  
*11. Epist. 32.* ad Johannem Constantinopolitanum scribens hæc pau-  
 ca, sed pungentia inferuit: *Quid autem de Episcopis, qui verberibus timeri*  
*volunt, canones dicant, bene fraternitas vestra novit. Pastores etenim facti sumus,*  
*non percussores, & egregius predicator dicit: Argue, obsecra, increpa cum omni pa-*  
*tientia & doctrina. Nova verò atque inaudita est ista predicatio, qua verberibus*  
*exigit fidem. Verissimè novam & inauditam dixit, quia ante ejus tempo-*  
*ra nemo pius verberibus fidem exegit. Ipsius igitur Romani Episco-*  
*pî confessione tyrannidis hujus novitatem convincimus. Quòd e-*  
*nim idem Gregorius lib. I. Epist. 72.* ad Gennadium Exarchum Africæ,  
 eundem laudat, quòd magno Zelo armis hæreticos persequeretur,  
 & ut pergeret, hortatur, ( à Bellarmino ideo *de Laic. cap. 22.* laudatus )  
 nihil ad rem facit, quia de facinorosis ac seditiosis hæreticis, Donati-  
 stis, ei sermo est. Hos verò armis contra Ecclesiam insurgentes, ar-  
 mis repellere fas piùmque erat. Alias enim satis constat, eundem  
 Gregorium sola autoritate sua, nullo impetu, Gothos ab Ariana re-  
 ligione ad Catholicorum castra traduxisse; & Longobardos Chri-  
 stianam doctrinam ex suo præscripto, vi nulla adhibita doceri cu-  
 ravisse.

Gregorius  
 M. prædica-  
 tionem,  
 quæ fidem  
 verberibus  
 exigit, dete-  
 statur.

XXVIII. Sed Leonis I. & Optati Milevitani autoritate Bel-  
 larminus idem *loc. cit. cap. V.* hæreticidia defendere conatur. nam ad  
 Hieronymi & Augustini testimonia ab eodem objecta respondimus,  
 Leonis I. *Epist. 91. ad Turb.* hæc verba sunt: *Merito Patres nostri, sub quorum*  
*temporibus hæresis hæc nefanda prorupit, per totum mundum instantè egere, ut*  
*impius furor ab universa Ecclesia pelleretur, quando etiam Principes mundi hæc*  
*facilegam amentiam ita detestati sunt, ut auctorem ejus ac plerisque discipulos le-*  
*gum publicarum ense prosternerent. Et profuit diu ista districtio Ecclesiastica le-*  
*nitati, quæ etsi Sacerdotali contenta iudicio cruentas refugit ultiones, severis tamen*  
*Christianorum Principum consuetudinibus adjuvatur, dum ad spirituale nonnun-*

Nec Leo I.  
 nec Optatus  
 Milevitanus  
 à Bellarmi-  
 no objecti  
 diversum  
 suadent.

quam recurrunt remedium, qui timent corporale supplicium. Sed præterquam quòd Leo loquitur de Priscillianistis, Magis, & foetidissimæ scelerum sentinæ immerfis, præfatus etiam omnem curam honestatis aufferri, omnem conjugiorum copulam solvi, simulque Divinum jus & humanum subverti si hujusmodi hominibus usquam vivere cum tali professione licuisset; manifestum etiam est, eum de ense metaphorico legum publicarum, cujus terrore coërcendi sint hæretici, agere: & non Ecclesiasticos tum corporalia supplicia Principibus extorsisse, sed Principes corporale supplicium timentes, ad spirituale nonnunquam recurrisse. Pari ratione Optatus Milevitanus *lib. III.* de peculiari quodam facto Macarii Orthodoxi, qui duos Donatistas occiderat, loquens, primò quidem illud improbat, quòd solus nesciente Ecclesia id fecisset: post utrunque excusare conatur, quia Donatistis provocantibus sit factum, & quidem singulari Zelo juxta exemplum Mosis, Eliæ & Phinees ita fieri poterit. Ex facto verò singulari perperam generalis regula cuditur. Nec quod in seditiosos Donatistas licuit, adversus hæreticos quosvis licere putandum est.

Imperatores  
Christiani  
primi hære-  
ticos minis  
& edictis  
terrurunt,  
sed leges  
non prom-  
iscuè  
exercue-  
runt, Mani-  
chæis ta-  
men infensi  
præ cæteris.

XXIX. Habemus Aristocraticorum doctorum effata & decreta consentientia mirè. Quid verò inquis; annon interea mulctæ, munerum privationes, copularum matrimonialium interdictiones, tandem & deportationes, imò & capitalia supplicia, tacentibus, & nonnunquam urgentibus Episcopis, suum in pœnis à Constantino, Theodosio, Valentiniano, Marciano, Justiniano, Imperatoribus plerisque religiosissimis decretis locum tenebant? Rarènter ista, nec ab illustribus ferè ingeniis in exemplum tracta. Minis potiùs ac terroribus, quàm pœnis ad saniolem mentem hæretici simplices revocabantur. Sozomenus enim *lib. VII. 12.* testis est, Theodosium gravia hæreticis supplicia edixisse, sed executum non esse. Οὐ γὰρ, inquit, τιμωρεῖται, ἀλλ' εἰς δέουσαν κατὰ τὴν τῆς ὑποχρέωσης ἐπιπέδωσιν, ὅπως ὁμοφρονεῖς αὐτῷ ζήνοιντο καὶ τὸ θεῖον. Neque enim punire subditos, sed terrere tantummodo studebat, ut idem cum ipso de Divinitate sentirent. Idem de Constantini legibus contra Arianos Sozomenus idem *lib. II. 32.* testatur. Neque etiam Justinianus cruentam adversus hæreticos legem executus legitur. cum exequendi occasio in Anthemio, Eutychianis, Nestorianis non defuerit. Blasphemi, furiosi, turbatores insignes, cujusmodi erant Manichæi, Donatistæ, Priscillianistæ, nec omnes, nec semper, nec pro eo, quod meriti erant, nec pro hæresi, sed pro crimine puniti sunt. Quas enim illi, aliique innumeri deportationes & poenarum commenta  
passi

passi sunt? Si qui exiliis, multa pecuniaria, aut aliis pœnis affecti sunt, id ferè semper in criminis loco afficientibus objectum est. Pœnam capitis furor quàm iudicium ab hæreticis expetebat, cum id, teste Augustino, nullis in Catholica Ecclesia placuerit. Ita cœdes Priscilliani, & violenta Samaritanorum ad fidem traductio, Maximino & Justiniano Imperatoribus vitio & crimini datur; aliis, qui cœdem indignam privatis sententiis procurabant, jure excommunicatis. Inquisitiones Manichæorum *L. 4. C. de heret. contra Manich. ad mortem extensas ultimarum voluntatum cassationes, & reorum etiam post mortem accusationem & ultimum supplicium Appollinaristis, L. quicumque 8. C. de heret. & Manich. & Samarit. indictum, solam deportationem, Jcti celebres, nominatim Wessenbecius in Paratit. aliique ex ipsis legum verbis comparatis interpretantur. Ipsas porro Imperatorum leges adversus hæreticos latas, & à Sciopio, hæreticidarum face & flabello, objectas, ad partes fusiùs vocavit, & quàm hodiernis hæreticidis segniter patrocinentur, demonstravit Vir Celeb. Justus Mejerus Jctus, & Academiæ Argentoratensis Antecessor, disceptata adversus sanguinarium Sciopii Classicum quæstione: *Sinne Protestantes Jure Casareo hæretici & ultimo supplicio affiendi?* Ubi inter alia multa præclara observationem meretur, quòd pag. 155. 156. ex Constitutione quadam Diocletiani & Maximiani, quæ habetur in C. Gregor. lib. 12. tit. ult. qua Manichæi nova & inopinata prodigia in hunc mundum (Romanum) de Persica adversaria gente invehere, & multa facinorosa ibi committere, populos quietos perturbare, nec non & civitatibus maxima detrimenta inferre dicuntur, conjecturam facit, Manichæos à Persis Romanorum hostibus oriundos, consilia & factiones suas ad rem Persicam magis quàm Romanam promovendam convertisse, atque sedò magis Imperatoribus exosos gravioribusque pœnis subjectos fuisse. quemadmodum, inquit, *his temporibus hæresis Jesuitica ab Hispanis orta, incrementum Regni Hispanici præcipue querit, cum emolumento tamen & fructu suo: ob factiosa & seditiosa dogmata non iis modò exteris populis exosa, qui Papam pro Antichristo habent; verùm etiam illorum quibusdam, qui eum ut Numen quoddam venerantur. Sed Protheos illos hodie mirè vela sua sinuisse, res ipsa loquitur. Hæc dicta sunt* *πρὸς τὴν ἐγὼ οὐδὲν.**

XXX. Cæterùm ex sententiis & decretis aliis Imperatorum eorundem mens planiùs pleniùsque intelligitur. Tameñ enim hæresiarchas, blasphemos, turbones alii legibus terruerunt: alii multis pecuniariis, munerum privationibus, copularum interdictis, exilio,

In conscientias sibi dominium non arrogaverunt.

deportatione puniverunt: alii ultimo supplicio affecerunt; sic tamen haud raro mentem suam explicarunt, ut facile appareat, dominium in conscientias hominum neutiquam illos profectos esse, vel sibi etiam arrogasse.

Constanti-  
nus M. gen-  
tes nulla vi  
adhibita ad  
Christum  
adduxit.

XXXI. Primus eorum Constantinus, Magnus merito audiit, tamen quia Imperatorum primus Christo Imperatori summo nomen dedit: tum quia contentiones Ecclesiasticorum Divina iudicii lima atterendas, & ad concordiam, salvis utriusque partis sententiis, adduci potuisse, ostendit. Docent quidem exempla, variis sententiarum fluctibus in controversiarum primordiis jactatum eum fuisse, & nomen persecutoris meruisse, Hæreticis à privilegiis Ecclesiæ exclusis, nunc Arianis, nunc Athanasianis in exilium pulsis: quos tamen in gratiam restituit. Donatistas ad supplicium duci jusserat; sed eum facti poenituit. Nec ullum dubium, eum gentiles ad fidem non coëgisse, sed persuasionibus, monitis & beneficiis ad Christianam religionem invitasse. Sic enim Senatam Populūque Romanum, Oratione in Ulpia Basilica habita, quam Baronius ad A. 324. §. 81. exhibet, alloquitur: *Inter Divina & humana servitia hoc interest, quod humana servitia coacta sint, Divina autem voluntaria comprobentur. Deus enim quia mente colitur, & sincero hominum veneratur affectu spontanea ejus esse debet cultura. In hoc enim apparet, quia Deus verus est, quod per tanta secula contemptoribus suis non iratus sinem imposuit, sed propitium se etiam qui colidebeant, demonstravit: dulgendo crimina, & salutem animabus & corporibus conferendo. Si ergo omnibus notum, non necessitate coactos, sed suo iudicio liberos fieri posse Christianos: nec humanum metuentes imperium, ad Deum culturam accedere aliquos oportere, sed rationabili consideratione magis rogari, ut Christianorum numero applicentur ab eis, qui huic sacratissima legi deserviunt. Eiusdem ad Deum apostrophe in Edicto ad Provinciales Orientem incolentes, quam apud eundem Baronium §. 88. legere est, habet ista: *Populum tuum pacem colere, & à seditione vacuum, liberūque esse, pro communi totius orbis & cunctorum hominum emolumento, exopto. Qui autem errore ducuntur, pacem cum fidelibus pacis & tranquillitatis oblectationem læto animo capiant. Ipsa enim recta communis & societatis humana moderatio etiam ad illos in rectam viam deducendos valebit plurimum. Nemo alteri exhibeat molestiam. Quod cuiusque animus vult, hoc quisque transgat. Idem: Si quis sit, qui se sanari non sinat, alteri, qui sanari vult, non viro veniat. Nam madendi facultas, quæ morborum curationibus præest, omnibus in medio proposita est. Tantum cavendum, ne quis istud religionis institutum violens, quod respicere purum & integrum commonstrant. Eruanur igitur**

omnes:

omnes boni illius communionem, quod nobis datum sit, hoc est, PACIS: nostraque mens ab omni, quod illi adversetur, sit omnino separata. At tamen quod quisque sibi persuadeat satis probum & spectatum esse, in hoc alteri ne sit offensum; in id vero quodcumque alter vel novit, vel intellexerit, illo quidem proximum, si fieri potest, juret; sin fieri non potest, missum faciat.

XXXII. Sed & in literis, quas idem Constantinus ad omnes Africæ Doctores Donatistarum causa scripsit, quasque idem Baronius ad A. 314. §. 71. repetiit, sic mentem suam declarat: Dum Cælestis medicina procedat, hæcenus sunt consilia nostra moderanda, ut patientiam nostram percolamus. Et quicquid insolentia eorum pro consuetudine insolentia tentat, aut facit, id totum tranquillitatis virtute toleremus. Nihil ex reciprocò reponatur injuria. Vindictam enim, quam Deo servare debemus, insipientis est in manus usurpare: maxime cum debeat fides nostra considerare, quicquid ab hujusmodi hominum furore patietur, martyrii gratia apud Deum esse valiurum. Quid enim aliud in hoc seculo in nomine Dei vincere, quam inconditos hominum imperus, quieta legis populum laceffentes, constanti pectore sustinere? Hac ergo tandem Sapientissimus ille Imperator voluntate erga gentes & Christianos inter se dissidentes processerat, non ut quenquam ad fidem cogeret vel læderet, verum ut proscripcta conscientiarum tyrannide publicæ paci & tranquillitati consultum iret, suaque omnia studia in populis ad Christum convertendis ad legem Divini Numinis componeret.

XXXIII. Eiusdem vestigia Imperatores secuti presserunt. Nam Jovinianus, Socrate Hist. Eccl. lib. III. 21. teste, liberum hæreticis in religione sensum permisit, interposita fide, se religionis gratia nemini molestum fore, & præ cæteris benevolentia ac honore eos prosecuturum, qui Ecclesiæ ad concordiam adducendæ operam strenuam navassent. Valentinianus auctore Ammiano Marcellino, hoc moderamine principatus inclavit, quod inter Religionum diversitates medius steterit, nec quenquam inquietavit, neque ut hoc coleretur, imperavit, aut illud, nec interditiis minacibus subjectorum cervicem ad id, quod ipse coluit, inclinavit: sed intemeratas reliquit has partes, ut reperit. Leonis & Zenonis Henotica nota sunt. Anastasius lege *απονησιος* lata, concionatores moderatos turbulentis prætulit, & animos hominum contentioniibus distractos ad concordiam reduxit. De Theodosio M. terrore potius legum quam pœnis errantibus & discordibus consulente, supra Sozomenum restem citavimus. Idem hæreticis, quos maxime odit, Tempora concessit, passus in singulis oppidis diversæ religionis Pontifices, Catholicorum Homoulianorum & Arianorum, haberi. Ferendam religionem,

Publicæ paci & tranquillitati ubique consultit.

Ejus vestigiis inherere Jovinianus, Valentinianus, Theodosius, Marcianus, Justinianus.

nem, quam sine Reipublicæ interitu auferre non possis, dicitasse eum, Socrates narrat. Edicta, rogationibus Pontificum, in hæreticos relaxavit. Etiam gentiles summorum Magistratum participes esse idem voluit; Prudentio *lib. I. contra Symmachum* teste. Similia de eodem Gregorius Nazianzenus in carmine testatur. Gratianus omnibus religionis causa in exilium deportatis reditum concessit, lege lata, ne quis ad religionem cogeretur. Theodosius junior *ad Cyrillum* omnibus manifestum esse voluit, quod religio firmitatem non ex potentia & iustione, sed ex consensu habeat. Justinus consilium ceperat hæreseos Arianae extirpandæ. Verum & precibus multis, & fletibus Johannis Papæ cessit, & Arianis suis legibus & institutis vivere permisit. Factum Pontificis ab Ecclesia probatum, & à Paulo Diacono laudatum. Marcianus pœnis quibusdam prius hæreticis indictis, declaravit postea, nolle se conscientias vim inferre. In sua enim ad Archimandritas Hierosolymitanos oratione sic *post Concil. Chalced.* loquitur: *Igitur nostra clementia nulli penitus necessitatem præcepit imponi, quatenus aut subscribat, aut consentiat, si noluerit. Non enim terrore aut violentia aliquos volumus ad viam trahere veritatis.* Ubi cum hæreticis Eutylianis Concilium Chalcedonense respicientibus, qui prius etiam orthodoxos infecerant, loquitur. Justinianus Theodosii exemplo leges in dissentientium religiones tulit, nullas tamen, saltem ab Arianis, Nestorianis, Eutylianis, Origenistis & similibus pœnas exegit. Denique & Mauritius, Majorum exemplo, dissentientium in Imperio diversas religiones illasas reliquit.

Religiosæ  
tyrannidis  
in Ecclesia  
Christiana  
auctores  
primi Antia-  
nistæ fuerunt.

XXXIV. Ex his fusiùs ex Antiquitate Ecclesiastica repetitis ad liquidum perducimus, nec Episcopos & Doctores, nec Imperatores Orthodoxos, durante Ecclesiæ statu Aristocratico, Religiosæ tyrannidi & hæreticidiis subscripsisse; & quod Athanasii & Hilarii cum primis verbis demonstravimus, prima ejus capita & auctores eorundem temporibus extitisse Arianos. Hi enim primi, historia omnium teste, libertate, honoribus, liberalitate, maximisque beneficiis ab Imperatoribus aucti atque ornati, receptam hæcenus ignominia pœnam, Apostolicis Ecclesiis solennem, quam Excommunicationem vocant, in graviora suppliciorum genera verterunt. Primi ergo favore & suffragiis Imperatorum freti, eorumque viribus armati, libertatem conscientiarum in carceres & vincula per Egyptum, Bybiam, Pentapoli, Syriam, Palæstinam, Thracias & orbis alias partes coniecere. Primi Christianorum nomine tecti, templa & oratoria Catholicorum Ho-

mōusianorum clauerunt, Doctorum & Episcoporum alios in exi-  
 lium pepulerunt, alios ferro cœciderunt, alios ad lapidinas aut me-  
 talla damnarunt. Nulli tunc amplius, Hilario conquerente, *Catholico-  
 rum catus, nulla Doctorum presidentia, nulla doctrina, nulla hymnodia eorum ha-  
 bite.* Templis & baptisteriis flammæ injectæ, innumeri ad necem  
 flagellati, flammis exusti, aquis suffocati, pedes fustigationibus muti-  
 lati: Virgines sacræ inarceratæ, nudatæ, suspensæ, rogis admotæ,  
 virgis palmarum ad mortem cœsa. *πότι*, inquit Athanasius *Epist. ad  
 Solit. vitam agentes*, Tomo I. p. 857. *ἡ κέσθη τοσαύτη ὄχνομιά; ; πότι ἢ τοιῦτον  
 κᾶν ἐν διωγμῶ γέγονε κακόν; ἐλθῆνες γέγονα σιν οἱ περὶ τὸν διάσαντες. Ἄλλ' οὐκ  
 εἰς τὸς ἐκκλησίας εἰσηνεγκαν τὰ εἰδωλα. Ἰουδαία ἦν ζήνοσία, καὶ παύλα σὺ-  
 ση τῷ Σαμοσατέως. Ἄλλ' ἔδεδωκε τὸς ἐκκλησίας τοῖς Ἰουδαίοις εἰς Συναγω-  
 γὰς, καὶ ἄνδρῃ ἐς τὸ το μίση. Οὐκ ἔστι ἀπλῶς διωγμός, ἀλλ' ὁ διωγμὸς μὲν πλε-  
 ον, σθεομίον δὲ καὶ παρεργισιὸν τῷ Ἀντιχρίστῳ.* Quando unquam audita est  
 tanta iniquitas? quando tale malum vel in persecutione visum fuit? Ethnici e-  
 rant, qui prius persequerantur, sed tamen in Ecclesias idola non inferebant. Ze-  
 nobia Judæa erat, & protectrix Pauli Samosathensis, sed tamen Ecclesias Judæam  
 in Synagogas non tradidit. Novum istud odium est, neque simplex persecutio, sed  
 immanitas quadam omni persecutione plena, proœmiūque & preparatio Anti-  
 christi. In hos ergo similisque, Theologos Aristocraticos-jure in vectos,  
 horūque tyrannidem sententiis suis atque decretis acriter impu-  
 gnantes vidimus. Quo tandem proventu, dicamus paucis.

XXXV. Etenim statum Ecclesiæ Aristocraticum post Grego-  
 rium M. excepit Monarchicus, quem summa Episcoporum ambitio pe-  
 perit, & fatalis quædam Regum ac Imperatorum conniventia, libe-  
 ralitas, in excolendo religionis studio segnitie aluit. Sicut ergo alia  
 innumera opinionum & superstitionum portenta ab hæreticis &  
 prodromis Antichristi in Ecclesiam in vecta, etsi partim Doctorum  
 Aristocraticorum lima attrita, partim foras ex Ecclesiis prorsus eli-  
 minata videbantur, status tamen ille Ecclesiæ Monarchicæ excepit,  
 & quasi postliminio sua fecit: ita & libertas religionis Arianorum  
 tyrannide ex Ecclesiis pulsa atque proffigata, licet gravissimis Aristo-  
 craticorum Doctorum sententiis defensa atque restituta videretur,  
 frœnum tamen sub Regno Ecclesiæ Monarchicæ rursus accepit, &  
 imperiis novorum Theologorum grave servitutis jugum liberimis  
 conscientiis imponentium, vel oppressa jacuit, vel oppugnata: Eam  
 proin fideles Christi animæ morte quantum vis atrocissima redimen-  
 dam putarunt, fidem à Christo, sanguinis sui impendio, servare, quam

Monarchi-  
 cus Ecclesiæ  
 status, post  
 Gregorium  
 M. incef-  
 sens, Aria-  
 norum ty-  
 rannidem  
 in Eccle-  
 siam invec-  
 xit.

amore fragilis & querulæ vitæ crimen perfidiæ subire maluerunt. Nullum enim procedente tempore, majorum inprimis nostrorum ævo per Italiam, Hispaniam, Galliam, Angliam, Belgicam, Bohemiam, Hungariam, aliâsque Europæ partes, crudelitatis genus omissum, quod Arianæ tyrannidi olim in dissidentes effusæ immanitate sua non respondeat, vel eam potius non superet.

Bellarmini  
memorabi-  
lis de pro-  
gressu hu-  
jus tyranni-  
dis senten-  
tia.

XXXVI. Memoratu haud indigna heic sunt Bellarmini verba, quibus sic ille *de Laic. cap. XXII. ad Object. 16.* progressum pœnarum hæreticis decretarum describit; *Ecclesia experta est omnes alias rationes, antequam ad ultimum supplicium inferendum hæreticis adduci possent. Nam initio solum excommunicabat: deinde videns hoc non sufficere, addidit pœnam pecuniariam, tum amissionem omnium honorum, postea exilium, tandem huc devenit (ut morte eos afficeret) uti satis patet ex variis legibus antiquiorum Imperatorum.* Hinc ergo colligimus, Bellarmino ipso confidente, Ecclesiæ veteris purioris, & Apostolicæ ætati propioris, morem non fuisse hæreticos capitali supplicio afficere; tandem verò, tyrannide videlicet demum in Ecclesiam Monarchicam introducta, & Antichristianorum errorum seminibus in Ecclesiam sparsis, isthoc etiam lollium succrescere cœpisse. Idem fatetur *cap. 21.* Augustinum etiam post mutatam sententiam existimasse, hæreticorum occisionem cum Ecclesiæ mansuetudine pugnare. Non ergo ante Monarchicum statum in Ecclesiam introductum, hæreticidium, Adversario ipso indice & iudice, invaluit.

Sensim my-  
sterium in-  
iquitatis  
operabatur.

XXXVII. Neque etiam statim atque Ecclesiastica Monarchia initium habuit, hæreticidia invalere. Mysterium enim iniquitatis sensim operabatur: & quæ Sathana adhuc ligato, religiosa tyrannis Divinitus repressa est, demum eodem post mille annos soluto grassari violentius adversus eos, qui Monarchiæ spirituali, ejusque decretis se opposuerunt, cœpit. Memorant enim Ecclesiæ Annales hæreticos variorum generum; velut *Seculo VII.* Monotheleras, Arianos Italiam & Lusitaniam vexantes, Pelagianos Angliam turbantes: *Seculo VIII.* Jacobitas, Abrahamianos, Felicianos seu Adoptionarios: *Seculo IX. X. & XI.* Manichæos, qui & Pauliciani dicti sunt, denuo Ecclesiæ insultantes Anthropomorphitas, alios. Non magnam tamen iisdem vim ab Ecclesia Romana ad motam legere est, nisi quòd subinde Manichæi coerciti sunt; non alio fructu, quàm quòd à Christianis, veluti Theodora Imperatrice immisso exercitu crudeliter vexati, ad Saracenos defecerunt, & horum auxilio Imperatoris regiones longe

longè latèque vastarunt; Zonara pag. 126. aliisque narrantibus.

XXXVIII. Tum verò demum Religiosa tyrannis Ecclesiam potentiùs invasit, quando hæresis una, eaque inexpiables, haberi cœpit, Pontificum Monarchiam radices jam agentem convellere, & eorum decretis ac imperatis segniter parere. Id verò cum Seculo duodecimo & deinceps ausi fuerint tum Waldenses, Albigenfium & Leonistarum etiam, aliisque nominibus ab Adversariis insigniti, tum Manichæorum reliquæ hinc inde dispersæ, qui Catharorum, seu Gazarorum, Paterinorum, aliisque nominibus venerunt; (qui utriusque dogmatibus reliquis vehementer disparati, in hoc tamen articulo conspirarunt, quòd Ecclesia Romana, quæ jam summam, temporalem etiam potestatem Clero vindicaverat, non sit Apostolica, imò Babylonicæ Meretricis nomine Waldenses insigniverunt) originem inde Religiosam tyrannidem, vi metùque Pontificum Imperium, seu Papa-Cæsareatum continere satagentem, cepisse, atque ita Ariariorum furores in Ecclesiâ incessisse, planè compertum habemus. Nam primus Alexander III. A. 1163. in Synodo Turonensi adversus Albigenfes hunc canonem, qui etiam Decret. lib. V. tit. 6. c. 10. extat, cudit: *In partibus Tholosa damnanda hæresis pridem emerfit, quæ more cancri paulatim se in vicina loca trasfundens, per Guasconiam & alias Provincias quans plurimos jam infecit: & dum in modum serpentis intra suas revolutiones absconditur, quanto serpit occultius, tanto gravius dominicam vineam in simplicibus demolitur. Unde contra eam Episcopos, & omnes Domini Sacerdotes in illis partibus commorantes vigilare precipimus, & sub interminatione anathematis prohibere; ne ubi cogniti fuerint illius hæresis sectatores, receptaculum quisquam eis in terra sua præbere, aut præsidium impertiri præsumat: sed nec in venditione nec in emptione aliqua cum eis communio habeatur; (confer Apoc. XIII. 17.) ut solatio saltem humanitatis amisso ab errore via suæ respicere compellantur. Quisquis autem contra hæc venire tentaverit, tanquam particeps iniquitatis eorum anathemate feriat. Illi verò si deprehensi fuerint, per Catholicos Principes custodia mancipati, omnium bonorum amissione multentur. Et quoniam de diversis partibus in unum latibulum crebro conveniunt, & præter consensum erroris nullam colliabitandæ causam habentes, in uno domicilio commorantur: talia conventicula & investigentur attentius, & si inventa fuerint, canonice severitate vetentur. Sic ultra excommunicationem novas civiles pœnas, bonorum amissionem, custodiam, privationem civilis communionis, juris emendi & vendendi, nec non solatio humanitatis, propria velut potestate, Papa Alexander primus irrogavit.*

Apertius tyrannis invasit Ecclesiam in fine Seculo XII. tempore Alexandri III. quo mox Pontificum Monarchiam radices agenti sese plures opposuerunt, hæreticorum inde nomine diffamati, puta Albigenfes, Leonistæ, &c. & iidem permixti Manichæi.

Idem Alexander III. in Concilio Lateranensi III. cano- nem cudit contra VValdenses & Manichæos.

XXXIX. Paulò post A. 1179. idem Papa Alexander III. in Concilio Lateranensi III. hunc Canonem *Decr. Gregor. IX. lib. V. tit. 7. cap. 8.* insertum, contra utrosque, Waldenses & Manichæos illos confici curavit: *Sicut ait B. Leo: licet Ecclesiastica disciplina Sacerdotali contenta iudicio, cruentas non efficiat ultiones; Catholicorum tamen Principum Constitutionibus adjuvatur, ut sæpe querant homines salutare remedium, dum corporale super se metuerunt evadere supplicium.* (hæc Leonis verba supra §. 28. explicata dedimus) *Eapropter quia in partibus Itholosanis, & aliis locis hæreticorum, (quos alii Gazaros, alii Pœnos, alii aliis nominibus vocant) invaluit damnata perversitas, ut jam non in occulto, sicut aliqui, nequitiam suam exerceant, sed suum errorem publicè manifestent, & ad suum consensum simplices attrahant & infirmos. Eos & defensores eorum & receptores anathemati decernimus subjacere: & sub anathemate prohibemus, ne quis eos in domibus vel in terra sua tenere, vel sovère, vel negotiationem cum eis exercere præsumat. Si autem in hoc peccato decesserint, nec sub nostrorum privilegiorum cultibi indulgentiarum obtentu, nec sub alia quacunque occasione aut oblatio fiat pro eis, aut inter Christianos recipiant sepulturam.*

Primus ille hæreticis sepulturam inter Christianos negavit.

XL. Hoc novum planè est, quòd Alexander hic excommunicationi hæreticorum primitus receptæ privationem *sepulturæ eorundem inter Christianos* addidit. Paulò ante quidem, Seculo Undecimo, Episcopi sepulchralis juris privationem introduxerunt, non propter hæreticos quosvis, sed excommunicatos, latrones, bonorum Ecclesiæ invasores, in spectaculis publicis interfectos, ac id genus alios, prohibitos sepultura non omni, sed Ecclesiastica, benedicta, & reliquis Christianis quoad ceremonias & locum communi. Demum Alexander III. decretum de hæreticis quibusvis, sine discrimine, eorumque fautoribus inter Christianos non sepeliendis condidit. Duriora etiam seculis temporibus statuerunt Gregorius IX. Innocentius IV. Alexander IV. Nicolaus III. præcipuè Concilium Albiense seu Albigense in Gallia A. 1254. in quo sancitum est, ut hæreticorum omnium ossa effodiantur, publicèque comburantur. Circa quæ etiam tempore Sanctus Ferrariæ habitus est, è terra erutum cremari iussit. Ex quo tempore mos effodiendi ossa hæreticorum, rapiendi ad locum cadaveribus bestiarum destinatum, aut cineres combustorum in ventum projiciendi, promiscuus in ludum abiit.

Arnoldi Brixiensis, Pùblicanorum

XLI. His ferè temporibus quotquot sive fideles, sive hæretici mundanum Papæ Regnum lacessere, ejusque decreta in *videl. de eisdem* habere

habere sustinuerunt, ferro flammâque infestari cœperunt. Initium factum sub Hadriano IV. Alexandri I I. Prædecessore ab Arnol-  
do Brixienfi, Abælardi discipulo qui, quòd, teste Othono Frisingensi, lib.  
II. de gestis Frider. I. Imp. c. 20. docuisset, reedificandum Capitolum, reforman-  
dam dignitatem Senatoriam, reformandum equestrem ordinem; Nihil in disposi-  
tione Urbis ad Romanum spectare Pontificem; sufficere ei Ecclesiasticum iudicium  
habere; aliâque etiam, Gunthero Poëta in 3. Ligurini libro, narrante,  
oculum Papa-Cæsareatus rectâ ferientia; A. 1155. Romæ, uti Geb-  
hardus lib. I. de Investigat. Antichr. loquitur, suspendio neci traditus, & post  
mortem incendio crematus, atque in Tiberim fluvium projectus est. Quod faci-  
nus his verbis Gerhotius Reichespergensis, ejusdem temporis scri-  
ptor, deplorat: *Quem ego vellem pro tali doctrina sua, quamvis prava vel exi-  
lio, vel carcere, vel alia pœna præter mortem, punitum esse; vel saltem taliter oc-  
cisum, ut Romana Ecclesia, seu Curia, ejus necis quæstione careret. Ad eò inso-  
lens ætate ea hæreticidium, ab Ecclesia in primis procuratum, fuit.*  
Successoris Alexandri III. temporibus *Publicanos* (Popelicanos alii  
vocant, Henricianorum sobolem, de quibus Usserius de Success. Eccl. cap.  
8. §. 29. agit) in pluribus locis per Regnum Francia combustos esse, Guilielmus  
Armoricanus lib. I. Philipp. & Rogerus Hovedenus in Annalibus suis,  
scribunt. Id tamen nullo modo in terra sua permisisse Henricum II.  
Anglorum Regem, idem Hovedenus testatur. Multos item in Flan-  
dria à Philippo Comite Flandrensum & Guilhelmo Rhemensi Ar-  
chiepiscopo, Romanæ Ecclesiæ Cardinali & Legato, A. 1183. combu-  
stos esse, Rigordus in gestis Philippi, & Vincentius Bellocacensis Spec.  
Histor. lib. XXIX. 26. narrant. Quæ verissima post Arianos in Ecclesia  
Christiana hæreticidiorum primordia, nondum tamen legibus hæ-  
tenus stabilita erant.

XLII. Alexandri successor Lucius III. Seculo XII. præcipite  
adversus quosvis hæreticos, in primis *Catharos, Paterinos, Humiliatos vel  
Pauperes de Lugduno, Passaginos, Josefinos, Arnoldistas* (de quorum nomini-  
bus, historia & dogmatibus fufius idem Celeb. Usserius de Christ. Eccl.  
Success. cap. 8. accuratè differuit) in generali Synodo (sic enim appellat  
vetus Juris Pontificii Interpres Tancredus in coll. 3. Decretal. cap. 2. de  
vestit. spol.) decretum condidit, quod Decret. Gregor. lib. V. Tit. 7. cap. 9. re-  
petitur. Ibi universi, qui de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini nostri  
Jesu Christi, vel de Bapismate, seu de peccatorum confessione, matrimonio, vel re-  
liquis Ecclesiasticis Sacramentis aliter sentire aut docere non metuunt, quàm Sa-  
cro sancta Ecclesia Romana prædicat & observat; & generaliter quascunque Ro-

8cc. vivæ om-  
burium.

Lucii III.  
decretalis  
de pœna Ca-  
tharorum,  
Paterino-  
rum. &c.

*mana Ecclesia, vel singuli Episcopi per dioceses suas cum consilio (si oportuerit) vicinorum Episcoporum hereticos judicaverint; vinculo perpetui anathematis innodantur; & si Clericus est, inquit Lucius, vel cujuslibet religionis obumbratione fuscatus, totius Ecclesiastici Ordinis prerogativa nudetur, & sic omni officio & beneficio spoliatus Ecclesiastico secularis relinquatur arbitrio potestatis, animadversione debita puniendus, nisi continuò post deprehensionem erroris ad fidei Catholica unitatem sponte recurrere, & errorem suum ad arbitrium Episcopi Regionis publicè consenserit abjurare, & satisfactionem congruam exhibere. Laicus autem nisi abjurata hæresi & satisfactionem congruam exhibita confestim ad fidem orthodoxam confugerit, Secularis judicis arbitrio relinquatur. &c. Addit, simili sententiæ subjacere, qui inveni fuerint sola suspitione notabiles, nisi ad arbitrium Episcopi juxta considerationem suspitionis, qualitatemque persona propriam innocentiam congrua purgatione monstraverint. Sed & Comites, Barones, Rectores & Consules Civitatum & aliorum locorum, juxta commonitionem Episcoporum, præstito corporaliter juramento, promittere jubet, quòd fideliter & efficaciter, cum ab eis fuerint requisiti, Ecclesiam contra hereticos & eorum complices, adjuvabunt bona fidei juxta officium & posse suum. Si verò id observare noluerint, honore, quem obtinent, spolientur, inquit, & ad alios nullatenus assumantur, eis nihilominus excommunicatione ligandis, & terris ipsorum interdicto Ecclesia supponendis. Civitas autem, qua his institutis duxerit resistendum, vel contra commonitionem Episcopi punire neglexerit resistentes, aliarum careat commercio Civitatum, & Episcopali se noverit dignitate privandam, Receptores & defensores hæreticorum simili poenæ subjacere, declarat, eosdemque, ceu infames, ab advocazione, testimonio, aliisque publicis officiis repellit; quin & excommunicationis sententiam adversus eosdem ab omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, in præcipuis festivitatis, & quoties solemnitatem habuerint, aut occasionem, reprehensione hereticæ pravitate nominari, decernit; aliâque similia, quæ nunquam hætenus in Ecclesia audita fuerunt, nunc demum ad Regni Pontificii, malis artibus novissimè quæsitæ & erecti, defensionem Papali severitate præscribit.*

Clemens  
 III. in Lom-  
 bardiam  
 Legatum  
 mittit, con-  
 stituciones  
 aliquot  
 contra hæ-  
 reticos e-  
 decatam. II.

XLIII. Qui post Lucium & Urbanum III. Gregorio VIII. successit A. 1185. Clemens III. in Longobardiam, à Catharis, Patarenis, Waldensibus infessam Legatum misit Gregorium Galganum Cardinalem S. Mariæ Porticu; quem aliquot contra hereticos constitutiones edidisse, in vitis Romanorum Pontificum & Cardinalium Alphonsus Ciaconius pag. 106. retulit. Accessit paulò post A. 1194. Alphonsi, seu Ildefonsi, Regis Arragonum, contra Waldenses & Insabbatatos

(hoc

(hoc enim etiam nomine Pauperes de Lugduno venisse constat) Edictum, in quo inter alia hæc habentur: *Si quis ab hac die & deinceps prædictos Waldenses & Insabbatatos, aliosque hæreticos, cujuscunque fuerint professionis, in domibus suis recipere, vel funestam eorum prædicationem aliquo loco audire, vel his cibum, vel aliud aliquod beneficium largiri præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & nostram se noverit incurrisse, bonisque suis abique appellationis remedio confiscandis, se tanquam reum criminis læsæ Majestatis puniendum. Id quoque inauditum hæctenus, ut rei criminis læsæ Majestatis humanæ hæretici, eorumque fautores habeantur, & ceu tales puniantur.*

de consi de-  
cretum con-  
tra vval-  
denses.

**XLIV.** Excepit mox, Anno videlicet 1198. Pontificatus Innocentii III quem Marthæus Paris *ad A. 1213.* atro carbone notavit, ceu *supra omnes homines ambitiosum & superbum, pecunie stitorem insatiabilem, & ad omnia scelera pro præmiis datis vel promissis ceruum & proclivem.* Is in Synodo Lateranensi IV. *A. 1215.* celebrato inter alia *cap. 3.* decretum con- fecit de hæreticis, cui hæc sanctio intexta est. *Moneantur, & inducantur, si necesse fuerit, per censuras Ecclesiasticas compellantur Seculares Potestates, quibuscunque officii fungantur, ut pro defensione fidei præstent publice juramentum, quòd de terris sua jurisdictioni subjectis universos hæreticos ab Ecclesia denotatos bona fide pro viribus exterminare studebunt, ita ut à modo, quancumque quis fuerit in potestatem sive perpetuam, sive temporalem assumptus, hoc teneatur Capitulum juramento servare. Si verò Dominus temporalis requisitus & admonitus ab Ecclesia terram suam purgare neglexerit ab hæretica fœditate, per Metropolitanum & cæteros Comprovinciales Episcopos excommunicationis vinculo innodetur. Et si satisfacere contempserit infra annum, significetur hoc summo Pontifici, ut extunc ipse vassallos ab ejus fidelitate denuntiet absolutos, & terram exponat Catholicis occupandam; qui eam exterminatis hæreticis sine ulla contradictione possideant, & in fidei puritate conservent: salvo jure Domini principalis, dummodo super hoc nullum ipse præstet obstaculum, nec aliquod impedimentum opponat, eadem nihilominus lege servata circa eos, qui non habent Dominos Principales. Ne vero solis adversus hæreticos eorumque defensores vel remissiores hostes minis & pœnis, quas plures statim Decretum ingeminat, ut credentes, receptores, defensores, fautores hæreticorum excommunicationi subiaceant; & excommunicati, infra annum non satisfecerint, ipso jure fiant infames, nec ad publica officia seu consilia, nec ad eligendos aliquos ad hujusmodi, nec ad testimonium adhibeantur; non habeant testamenti liberam factionem, nec ad hereditatis successionem accedant; nullus præterea super quocumque negotio, sed ipse alius respondere cogatur; si iudex extiterit, ejus sententia nullam obtineat firmitatem.*

Innocentii  
III. decre-  
tum in Con-  
cilio Late-  
ranensi IV.  
adversus  
hæreticos  
cufum.

rem, &c. durum nimis videretur, mox etiam præmia obedientibus promittit. Catholici vero, inquit, qui crucis assumpto caractere ad hereticorum exterminium se accinxerint, illa gaudeant indulgentia, illoque privilegio sine muniti, quod accedentibus in terra Sancta subsidium conceditur.

Idem cruciatus expeditiones adversus Saracenos institutas in Sedis Romanæ adversarios quoscunque convertit.

XLV. Jam enim *Cruciatus Expeditiones*, adversus Saracenos primitus institutos, in Sedis suæ Adversarios quoscunque, Albigenfes in primis, Innocentius idem converterat. ad quam flammam suscitandam Dominici & Prædicatorum aliorum opera usus est. Hi nempe sumpto hujusmodi themate, Psal. XCIV. 16. *Quis consurget mihi adversus malignantes, aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem*: conaciones ad populum habitas tali claudere epilogo, uti ex Umberto Burgundo *Serm. p. II. Serm. 66.* constat, consueverunt: *Ecce videtis, charissimi, quanta est malitia hereticorum, videtis etiam, quantum nocent in mundo: videtis iterum, quam piè & multis modis piis laborat Ecclesia eos revocare. Sed apud tales nihil ista poterunt proficere, imò per potentiam secularem se defendunt. Et ideo Sancta mater Ecclesia, licet invita & cum dolore, contra eos convocat exercitum Christianum. Quicumque igitur habet Zelum fidei, quicumque est, quem tangit honor Divinus, quicumque est, qui vult habere istam magnam indulgentiam, veniat, & accipiat Signum Crucis, adjungat se militia Crucifixi. Cœpit ita crudelissimum Cruce Signatorum adversus Albigenfes bellum A. 1209. deletis brevi tempore sexaginta vel etiam septuaginta hominum millibus. Biterris, Carcaffone, Albiis, aliisque urbibus & locis captis; & subsecutis mox aliis expeditionibus, duce primùm Simone Monfortio Comite, auspiciis Regis Philippi, cui Ducatus Tholosanus, omnèsque, quas occupaverat, ditiones, decreto Concilii Lateranensis, in præjudicium Raymundi Comitis patris & filii, datæ; mox etiam Almerico Comite, filio Simonis, in Tholosana obsidione ictu lapidis oppresso; aliisque. Pugnatum vario eventu, dispersis Albigenfibus ea occasione in plerasque Europæ partes.*

Crucigerorum ordinem, ob rem masculi adversus Albigenfes gestam, confirmat.

XLVI. Neque desunt, qui scribant, sub Lateranensis Concilii tempora *Crucigerorum* ordinem, ob rem masculi adversus Albigenfium sectam Romæ tum in valescentem, ab Innocentio confirmatum. *Ordo Cruciferorum*, sic Wernerus *Fascic. emp. tit. 6.* scribit, *circa hac tempora renovatus est per Innocentium III. anno Pontificatus sui 18. jam devicta hæresi Albigenfium per Crucesignatos.* Idem Sabellicus *Ennead. IX. lib. 6.* testatur. Similem adversus eosdem in partibus Tholosanis à Dominico institutum esse ordinem, Franciscus Monnensis in *Deliciis Equestrium Ordinum* affirmat. *Cum partes, inquit, Tholosana & Lombardia plena essent hereticis,*

Domi-

Dominicus predicans contra illos dicitur convertisse ex illis circiter centum milia. Et in adiutorium sumpsit quasdam devotas personas, quæ corporaliter illos hereticos gladio materiali expugnarent, quos ipse gladio verbi Dei amputare non posses: quibus & tradidit tertium modum vivendi spiritualem, communem morem laicalem, & citra statum complete religionis: & dicebantur, tum Fratres de militia B. Dominici; Extirpatis demum hereticis in partibus illis, cum non oporteres amplius gladio pugnare, remanserant in illo modo partim religioso cum uxoribus suis, quæ mortuis viris continenter vivebant: & alii utriusque sexus, viduæ & virgines & conjugati illis adhaferunt. Vocati sunt postea Fratres seu Sorores de Pœnitentia B. Dominici, quorum regulam approbavit Innocentius VI. circa A. C. 1360.

XLVII. Idem verò Innocentius III. instituto Inquisitionis Delegatæ officio, Religiosam tyrannidem ferè ad *an. n. n.* suam perduxit. Nam primo Pontificatus sui anno Cal. Maii A. 1198. missis ad Auxitanum, Aquensem, Narbonensem, Viennensem, Arelatensem, Ebrodunensem, Tarraconensem, Lugdunensem Archiepiscopos, & eorum suffraganeos, Rainerium quendam & Guidonem suos constituit Commissarios, ad capiendos eos, qui Romanæ Ecclesiæ magisterium refugerent. Inter quos in Provincia vestra, ait ille ad Archiepiscopos, quosdam, qui Valdenses, Cathari & Paterini dicuntur, & alios quoslibet quibuscunque nominibus appellatos in tantum jam accepimus pullulasse, ut innumeros populos erroris sui laqueis irretierint, & sermone corruperint falsitatis. Cum igitur ad capiendas huiusmodi vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineam Domini Sabaoth, species quidem habentes diversas, sed caudas ad invicem colligatas, quia de vanitate conveniunt in ipsum, ut virga Moysi maleficorum phantasmatum devoret, dilectum filium fratrem Raynerium, virum probatæ vitæ & conversationis honestæ, potentem Divino munere in opere & sermone, ac cum eo dilectum fratrem Guidonem, virum Deum timentem, & studentem operibus charitatis, ad partes ipsas duxorimus destinandos: Fraternitati vestra per Apostolica scripta mandamus, & districtè precipimus, quatenus eos benigno recipientes & tractantes affectu, taliter eis contra hereticos assistatis, ut per ipsos ab errore via sua revocentur ad Dominum: & si quò forte converti non poterunt, ne pars sincera trabatur, de vestris sinibus excludantur. Paulò post officium delegatæ Inquisitionis ab Honorio III. & Gregorio IX. in Gallia Narbonensi Dominico fuit commissum, qui decem ibi continuos annos in Albigenibus oppugnandis tum oris mendacis gladio, tum gladii furacis ore laboravit; implens somnium matris, quæ Vincentio *Specul. hist. lib. XXIX. 94.* & Antonino *Histor. p. III. tit. 23. c. 4. nar.* antibus, antequam ipsum conciperet, vidit in somnis se gesta.

& Inquisitionis Delegatæ officium instituit, missis ad Archiepiscopos quosdam Guidone & Rainerio Commissariis, &c.

re catulum, accensam ore faculam bajulantem, qui egressus ex uero totum n. un-  
 dum videbatur accendere. Post Dominicum Fratres Dominici seu  
 Prædicatores Inquisitioni eidem in Italia & Hispania præfæcti sunt;  
 alicubi etiam Minores ex Edicto Friderici II. A. 1225. & Alexandri  
 IV. Bulla A. 1260. edita; quam Franciscus Pegna in Directorio Inqui-  
 sitorum scholiis illustratam, & post hunc Cherubinus in Bullario ex-  
 hibet. Primus tamen Innocentius IV. post. A. 1242. Dominicanis  
 stabilem authoritatem, & tribunal perpetuum, quod hujus folius ne-  
 gotii curam gereret impertitus est.

De modo  
 Inquisi-  
 tionis Cano-  
 nes à Ray-  
 mundo de  
 Penna forti  
 scripti, & à  
 Gregorio  
 IX. Guilhel-  
 mo Monte-  
 grino com-  
 mendati.

XI. V III. Historiam & crudelitatem fori hujus pœnalis In-  
 quisitorum, ceu tauri cujusdam Phalaridis, paulò fusiùs *Myster. Babyl.*  
*Diff. XII. 19-32.* edisseruimus. Unum hic addere libet, de modo Inqui-  
 sitionis Canones decem verè Antichristianos à Raymundo de Penna  
 forti, Ordinis Prædicatorum Magistro Generali III. conscriptos, & à  
 Gregorio IX. Guilhelmo Montegrino, Tarraconensi Archiepiscopo,  
 Inquisitionem in Regnum Arragoniæ inducenti, commendatos esse.  
 quos Bzovius ad A. C. 1235. exhibet. Inter Canones illos *Octavus* ita fo-  
 nat: *Si quis recepit aliquando Waldenses, credens illos esse bonos homines, licet sci-*  
*res, quòd Ecclesia eos persequeretur, & Principes Seculares igni traderent creman-*  
*dos, non tamen per confessionem ejus, vel aliam probationem habeat, quòd alicui er-*  
*rori crediderit speciali, credo, quòd si talis scit vel credit, quòd Ecclesia dictos Wal-*  
*denses propter heresin persequitur vel condemnat, indubitanter est hereticus judi-*  
*candus: nisi constaret, ipsum adeò fatuum & insanum, quòd nesciret, quid esset here-*  
*sis, vel error: nec subter fugit, quòd minus super his doceretur, & esset paratus credere,*  
*secundum quod Ecclesia doceret eum. Si autem ignorat causam persecutionis hujus-*  
*modi, credens, eos esse Catholicos, licet prima facie violenta præsumptio habeatur*  
*contra eum, cum debuerit approbare, quos approbat Ecclesia, & reprobare, quos*  
*reprobat, non videtur, præsertim in foro Confessionis, hereticus judicandus.*

Friderici II.  
 decretum  
 contra hæ-  
 reticos, Ga-  
 zaros, &c.  
 quo eos  
 primus ban-  
 nit & diffi-  
 dat.

XLI X. Accesserunt circa eadem tempora Decreta nonnulla  
 Friderici II. Anno 1219. Imperatoris creati, quibus hæreticorum in fo-  
 ro civili pœnas definitum iuit. Extat in Codice *Lib. I. tit. 5. de Hereticis*  
*Manich. Samarit.* Authentica, ex Constitutione quadam, Friderico II.  
 auctori tributa, excepta; cùs hæc verba sunt: *Gazaros, Patarenos,*  
*Leonistas, Spevonistas, Circumcisos & omnes hereticos utriusque sexus, quocunque*  
*nomine censeatur, perpetua damnamus infamia, diffidamus atque bannimus, cen-*  
*semes, ut omnia bona talium confiscentur, nec ad eos ulterius revertantur: ita quòd*  
*filii eorum ad successionem eorum pervenire non possint, cum longe gravior sit æter-*  
*nam quam temporalem offendere Majestatem.* Edita est eo tempore, quo  
 Impe.

*Imperiale Diadema à manu Pontificis Honorii accepit, ut est in Præfatione*  
 Constitutionis; id est, A. 1220, uti etiam scribitur in fine ejusdem, ubi  
 ab Honorio Papa confirmata legitur. Ea enim tum erat temporum  
 facies, ut Romani Pontifices Imperatores, quocunque liberet, velut  
 ligna nervis alienis mobilia impellerent. Non ergo pro more in Im-  
 perii Comitibus, quod in Imperatorum præcedentium & sequentium  
 Constitutionibus solenne erat, lata vel sancita, sed solo Papæ arbitrio  
 condita, saltem ab eo, quod insolens hæctenus, *confirmata*, imò ex Ponti-  
 ficis decretis, puta *C. Excommunicamus 15. & ex C. Excommunicamus 13. S.*  
*qui autem inventi, Extra de hæreticis*, desumpta, Papalis potiùs, quàm Im-  
 perialis Constitutio haberi debet; exitialis ipsi Imperatori Friderico,  
 quem ceterum hæreticum Constitutionis hujus vi Regno Siciliæ exci-  
 disse, ex Baldo Gothofredus *ad Auth. Si verò Dominus, de Heret.* notavit.  
 Tametsi verò manifesta hæctenus Authenticæ hujus tyrannis est,  
 quòd præter Imperatorum veterum consuetudinem promiscuè tum  
 omnes hæreticos *bannit & diffidat*, cum illi certis duntaxat casibus eos  
 urbibus pepulerint, in exilium miserint, deportaverint: tum liberis  
 innocentibus aditum ad bonorum paternorum hæreditatem, & hæ-  
 reticis poenitentibus restitutionem eorundem negat, cum veteres Im-  
 peratores hæreticorum bona non confiscaverint, nisi in certis casibus,  
 quibus vel ultimi supplicii, vel deportationis poena infligebatur; ta-  
 men ultimum hæreticis supplicium nondum decrevit. Fallit etiam  
 Authenticæ illius ratio, quòd hæretici infamiæ, diffidationi, bono-  
 rum confiscationi subjiçendi sunt, *quia longè gravius sit æternam, quàm*  
*temporalem offendere Majestatem.* Præterquam enim quòd peccato quo-  
 vis æterna Dei Majestas offenditur, & in crimine læsæ Majestatis  
 temporalis dolus & propositum nocendi evidentissimum intercedit,  
 quod in hæresi quavis & semper, teste S. Paulo 1. Tim. I. 13. locum non  
 habet; hæresis etiam pertinax æternam in foro Dei poenam constitu-  
 tam habet, quam perduelles poenitentes effugiunt; nulla etiam ratio  
 est, cur graviori crimini in externo etiam, nedum in diverso foro gra-  
 vior semper poena infligatur. Gravius enim crimen sacrilegium &  
 parricidium, quàm perduellio est. In illis tamen noxa caput tenet.  
 cum in hoc etiam poena reum egrediatur. Clementiorèsque aded sunt  
 leges Pompeja de parricidiis, & Julia de sacrilegiis, quàm lex Julia  
 Majestatis.

L. Idem Fridericus II. instituto jam à Papa tribunali Inquisi-  
 tionis perpetuo, A. 1244. Patavii quatuor super hoc argumento edi-

illic  
 quatuor  
 circa  
 Inquisi-  
 tionem de-  
 sacra,

Eiusdem  
 quatuor cir-  
 ca Inquisi-  
 tionem de-  
 sacra,

Et promulgavit, quibus tribunal illud in tutelam suam recepit, ignis  
 pœnam hæreticis; perpetuorum verò carcerum pœnitentibus impo-  
 suit; horum omnium examen Ecclesiasticis, condemnationem verò  
 iudicibus Ecclesiasticis commisit. Tametsi verò multis abhinc annis  
 Waldenses, aliique seu veri, seu λεγόμενοι hæretici passim, facibus &  
 rogis à Papa, Dominico & Inquisitoribus accensis, comburi sueverunt,  
 atque hanc traditio in secularis brachii potestatem fieri solita inter-  
 pretationem subiit, ut, qui ita traderentur, comburendi, vel quovis al-  
 io supplicio capitali afficiendi intelligerentur: tamen prima hæc à  
 Friderico A. 1244. in gratiam Inquisitorum lata lex est, quæ hæreti-  
 cis pœnam mortis imponit. Neque dubitari potest, quin Fridericus,  
 cui cum Babylonis Archisaminibus acerrima diu contentio fuit, hoc  
 hæreticos plectendi Zelo boni Catholici, Papæ & ambitionis ejus  
 summæ repugnantis licet, existimationem captare in animo habue-  
 rit. Quam hypocrisin & πνεύμα Francisus I. Galliæ, & Henricus  
 VIII. Angliæ Reges, aliique deinceps, quoties cornua sua Papæ ipsi  
 obverterunt, imitandam sibi duxerunt.

Concludi-  
 tur, religio-  
 sam, tyran-  
 nidem A-  
 rianis &  
 Pontificiis  
 originam  
 debere, cui  
 ipsi tamen  
 in Monar-  
 chico Ec-  
 clesie statu  
 parum Aga-  
 tho Papa,  
 Concilium  
 Toletanum,  
 Bernhardus,  
 Petrus Da-  
 miani fave-  
 bant.

L. I. Sic Religiosæ tyrannidis, ab Arianorum & Pontificiorum  
 furoribus cunabula & incrementa capientis, origo constat. Neque  
 defunt tamen pauci quidam ex sacro Ecclesiæ Monarchicæ choro,  
 qui aliorum iudicio laxent, & fidei libertatem amplient. Concilii  
 Toletani A. 693. celebrati, Bernhardsi Clarævallisensis, Petri Damiani;  
 & post beatam Ecclesiæ palingenesiam, Reformationis beneficium con-  
 secutam, Andreæ Philopatoris, Presbyteri Romani, Anglorum Pon-  
 tificiorum Regi Jacobo I. supplicum, Guilhelmi Alani, Card. Hosii,  
 Petri Coreti, Petri Ximenii, Joh. Cujacii, Bodini, Thuani, Nic. Fabri:  
 quin & summorum Orbis Christiani capitum, Imperatorum, Maxi-  
 miliani I. Caroli V. Ferdinandi I. Maximiliani II. Rodolphi II. nec  
 non Regum Sarmaticorum, Jagellonis, Stephani, Casimiri, quin &  
 novissimæ Reginæ Sueciæ Christianæ, suffragia disertissima alibi re-  
 citamus; atque nunc, receptui canentes, uni solique DEO, animo-  
 rum & conscientiarum supremo Domino, laudem, honorem,  
 gloriam sempiternam persolvimus.

FINIS.

## EPIMETRA.

- I. Scripturam Deo authore inspiratam esse, non ab ulla humana autoritate, sed ex Spiritus S. lumine, & insitis Divinitatis characteribus cognoscitur.
- II. DEUS essentia unus, personis *omnino* trinus est.
- III. Deus ab æterno homines quosdam peccatores in Christo elegit, nulla prævisione operis vel meriti: alios in massa peccati reliquit, solo arbitrio & beneplacito voluntatis.
- IV. Homo ad imaginem Dei, in agnitione veritatis & justitia consistentem, creatus, ab eadem peccando defecit, & mortis spiritualis, æternæ & temporalis reatum sibi conscivit.
- V. Ab eadem verò morte Christus nostro loco legi subjectus, & maledictio pro nobis factus, nos perfectissimè redemit.
- VI. Solus proin Mediator, intercessor, propitiator, Salvator noster est, exclusis quibusvis aliis.
- VII. Meritum Christi gratia Divina imputatum credentibus, omnia alia merita & sacrificia tollit.
- VIII. Justitia Christi semel donata, nunquam revocatur; neque adeò justificati gratia Dei excidere possunt.
- IX. Mortui omnes in eadem, qua ceciderunt, carne resurgent, præmia vel pœnas suorum operum recepturi.
- X. Visio Dei, gloriificatis propria, non essentiæ, sed gloriæ erit.

EXHIBIT

I. [Faint, illegible text]

II. [Faint, illegible text]

III. [Faint, illegible text]

IV. [Faint, illegible text]

V. [Faint, illegible text]

VI. [Faint, illegible text]

VII. [Faint, illegible text]

VIII. [Faint, illegible text]

IX. [Faint, illegible text]

X. [Faint, illegible text]